
OBSIDIO BREDANA. ARMIS PHILIPPI 4. AUSPICIIS ISABELLÆ...

Cornelis Galle, Herman Hugo




7
M
34


OBSIDIO
BREDANA.
ARMIS
PHILIPPI IIII.
AVSPICIIS
ISABELLÆ
DVCTV
AMBR. SPINOLÆ
PERFECTA.
SCRIBEBAT
HERMANNVS HVGO
SOCIETATIS IESV.
Editio ſecunda
ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA, M. DC. XXIX.

ISABELLAE
CLARAE EVGENIAE
HISPANIARVM
INFANTI
HEROINAE FORTISSIMAE,
VICTRICI,
MATRI PATRIAE.





XIMIAE Regum animæ, excelſæque illæ mentes, ISABELLA SERENISSIMA, etſi res maximas abs ſe geſtas, conſuetudine quadam perpetuæ Maieſtatis, obliuiſci ſoleant; non inuitè tamen ad earum memoriam auditione ſubin-

de reuocantur. Eâ cogitatione ausus sum belli Tui Bredani recentem admirandámque Victoriam CELSITVDINI TVAE memorare scribendo; vel eò lubentiùs, quòd, etsi Tua ea sit, præcipuè tamen sit DEI, Arbitri Pacis Bellíque. Ita sentire Te, scio; quæ cùm Bredam venisses, non priùs Tibi festorum ignium hilaria, quàm DEO Victoriæ Auctori, Sacrum fieri permisisti. MVNIA quidem DVCIS GESSISTI, INGENS ANIMI, non dicam, FEMINA, sed Heroina: atque vt Ambrosij in Te (quæ ille in victricem viduam Debboram) verba conferam; VIDVA POPVLOS REGIS, VIDVA DVCIS EXERCITVM, VIDVA DVCES ELIGIS, VIDVA BELLA DISPONIS. quæ omnia etsi insolita maximáque in Te fuêre; tantæ tamen molis Victoria supra Tuas, imò supra hominum omnium vires fuit. Vtar publico nostro hostiúmque Testimonio. Mauritius Arausij Princeps, vir rarâ militiæ prudentiâ,

Tacitus de Agrippinâ.

Ambrosius libro de Viduis.

tiâ, Ambroſij Spinolæ Ductoris Tui fortiſſimi conatus, initiò, quaſi Giganteos irridebat. Ordines fœderati, ærarium omne effundebant, vt in certiſſimam obſidij ſolutionem vtiliſſimè expenſum. Hollandiæ plebs Comœdijs, Mimiſque, cœptam circumuallationem proſcindebat. Socij Fœderatique, nullo perdendæ operæ metu, auxilia ſubmittebant. Exteri Principes tam parum Bredæ metuebant, quàm Hiſpaniæ Rex ipſe, extremâ etiam obſidione, ſperabat. Noſtrorum multi (quod augurabantur) depoſitis æris magni pignoribus, malè euenturum bellum contendebant. Famæ denique nuntiiſque poſt Victoriam dimiſſis, apud multos negata fides eſt. Fortè & Poſteritas admirabunda dubitabit; niſi quæ præſens vidi, ſcripſero, dum viuis, dum viuunt, qui vidêre quæ ſcribo. Sed illud nimirum è ſacro bellatricis Poëtriæ carmine præfandum eſt, ad faciendam fidem:

De Caelo dimicatvm est contra eos. *Iudicum 5. cap.*

De Cælo profectò; nam hominum ſtratagemata eſſe non poſſunt, ſed vnius Archiſtrategi DEI, quotquot hoc bello portenta præſidiáque ſunt viſa: AEſtatem atque Autumnum caſtris noſtris fuiſſe ſalubrem, hoſtibus peſtilentem. Hiemem ferè ſine niuibus gelúque tranſire; tum demum gelare ac ningere, cùm nos circumuallationem propè abſoluiſſemus, hoſtis verò ſuppetias nauigijs ſubmittere conaretur. Cùm auxilia hoſtium mari apportarentur, æſtum de more non concitari, ventum ſubitò in contrarium verti, claſſem conflictari, naufragia fieri, militem mori ſimul & appelli. Seditionem nullam in caſtris noſtris, aut diuturnâ obſidij aſperitate, aut exili raráque ſtipendiorum numeratione, aut annonæ ſæuitiâ, efflagrare. Portenta haud dubiè, ſed debita ſcilicet Pietati Tuæ, ISABELLA Princeps Religioſiſſima, vel Pij belli causâ. Orbis vidit quæ ſcribo, nec beneficio nec iniuriâ laceſſitus, ſed fidem incorruptam

abſque

absquė odio & studio professus; (& verò blandiri publicè, nec locus nec gratia est) quamquam laudari Te, etiam dum viuis, omnes sine obtrectatione permittunt. Adeò Virtus Tua supra inuidiam est atque calumniam, vt eam immortalitatis gloria non sequatur (vt post mortem ceteros) verùm etiam præcurrat. Vnus mihi grauior est metus, vt facta dictis exæquem. Sed quem vmquam SCRIPTOREM ET AVCTOREM RERVM, PAR GLORIA CONSECVTA EST? Salustius. Pictoribus non modò venia, at laus etiam datur, si viuas imagines coloribus mortuis aliquatenus assequantur. Mihi certè amplius aliquid à CELSITVDINE TVA sperare licebit, quæ fortitudine, felicitatéque rerum gestarum, non tantùm exilem meam, sed excellentissimam quoque Scriptorum omnium eloquentiam superasti. Patiêre igitur, pro insigni rarâque Modestiâ Tuâ, vnico Te Victorinæ elogio, velut angusto

Virtu-

Virtutum Tuarum compendio, appellari MATREM CASTRORVM. Qualem Te olim Posteritas, nunc ego præsentem venerabor,

Trebellius Pollio de xxx. Tyrannis.

ISABELLA HEROINA FORTISSIMA,

Clientium tuorum minimus

Hermannus Hugo
Societatis IESV.



OBSI-

OBSIDIO BREDANA.



RBIS Bredæ obſidionem res multæ ſupra præteritorum bellorum memoriam magnitudine ſuâ celebrarunt. Inprimis maximarum ſuppetiarum auxilia vndequaque ab hoſte euocata, quaſi non de vrbis vnius ſalute, ſed Imperij totius ſummâ fuiſſet dimicatum. Adeò famam ſtudia auxêre exterorum, ipſaque æmulatione creuit Victoriæ nomen. Deinde admiranda inauditaque circumuallationis inſtitutæ magnitudo, circuitu valli duplicis aduerſus internum externumque hoſtem, qualem vix vllæ retrò Hiſtoriæ litteris commendatum reliquêre. Ad hæc multitudo incredibilis [a] turrium, [b] caſtellorum, [c] aggerum, aliarumque id genus munitionum, quæ & ſæuiſſimo anni tempore, & breuiſſimo ſpatio pro tantâ magnitudine, fuêre perfectæ. Præterea ſumma commeatus ſupportandi difficultas, itinere longo, hiberno ac terreſtri, vndecim menſium ſpatio ſuperata; cùm ob ſumptuoſas curruum vecturas Prouincijs volentibus imperatas, pagorumque ac municipiorum vaſtitatem, graue mercium omnium pretium eſſet, neque militi niſi rara dimidiataque ſtipendia ſoluerentur. Denique peculiare quoddam præſidium Numinis, rebus noſtris perpetuò patrocinantis, turbantiſque conatus hoſtiles; perinde atque nobis propitium, illis iratum infeſtumque ſemper extitiſſet. Cuius quidem cæleſtis auxilij argumenta, tot tamque certa toto hoc Bredano bello eluxêre; vt quamuis longè maxima fuerint Ducum ſtudia vigilantiaque, nihil tamen haud dubiè ijs omnibus curis effeciſſent, abſque ope eximiâ ſummi illius

Quæ res celebrarint obſidionem Bredanam.

1. Auxilia maxima euocata, exterorumq́; æmulatio.

2. Admiranda magnitudo duplicis circumuallationis.

3. Multitudo incredibilis operum.
a Redoutes.
b Fortz.
c Batteries.

4. Difficultas ſupportandi è longinquo commeatus, cum ſummâ annonæ caritate.

5. Singulare Dei præſidium, ac ferè portentoſum.

Imperatoris Dei. Atque hæc ferè ea ſunt, quæ Belli huius famam orbe toto circumtulerunt.

Vrbis Bredæ circuitus quantus.

Breda alioqui oppidum non maximum, circuitu mœnium continet paſſuum millia non ampliùs quatuor, vt horæ ferè ſpatio circuiri in orbem poſſit. Oppidi Toparchia latiùs pertinet, includitque pagos omnino XVIII. Oppidum eiuſq; Toparchiam olim Brabantiæ Duces hereditario iure tenuerunt. Vtrumque abalienauit Ioannes III. Brabantiæ Dux anno M.CCC.L. Emit Ioannes Polanus Leccæ Toparcha: pretij caput fuit XLIII. millium hallengorum. Inde Naſſauijs primùm obuenit anno M.CD.IIII. dote Ioannæ Polanæ: quæ cùm Bredæ eſſet heres, Engelberto Comiti Naſſauio nupſit. Quis neget vel hoc tam diſſolutæ venditionis nomine Bredam Brabantiæ Ducibus debuiſſe redhiberi? Eam vrbem anno M.D.LXVII. Albanus Dux (fugiente per duellionem Guilielmo Naſſauio) Hiſpaniæ Regi vindicauit. Decennio pòſt ad Naſſauios rediit anno M.D.LXXVII. Hollaco Comite ad deditionem cogente. Tum iterùm anno M.D.LXXXI. à Barone Hautepennio per vim aſtumque capta, Regi paruit per annos IX. donec Araugerius anno M.D.XC. per fraudem vectoriæ nauis (quâ ſeptuaginta milites tecti, vt olim Græci equo Troiano) Arcem Vrbemque, iubente Mauritio Naſſauio, Arauſij Principe, occupauit.

Breda quando & vnde ad Naſſauios. *Breda quando & quoties capta ac recepta.*

Bredæ ſitus.

Vrbs extremis ferè Brabantiæ finibus, Hollandiam Merkâ flumine attingit. Vicinis oppidis aliquot municipijſque haud magno interuallo coronatur. Iacet amœniſſimâ terræ regione, qualem plurimi Ducum militumque Europâ totâ vidiſſe negabant: vt non iniuriâ Mauritius Bredam, ſua Tempe appellaret. Ager vndequaque frugum pabulique lætus. Prata omnia virgultis perpetuis cincta, riui creberrimi diſtinguebant, veluti limite genuino. Ordines arborum vel ad regulam, vel in quincuncem diſpoſiti, itinerum paſſim domorumque latera viriditate inumbrabant. Haud procul erant quaternæ ſiluæ, pinibus vna, ternæ quercubus conſitæ.

Amœnitas agri Bredani.

Flumi-

Fluminibus duobus Aâ & Merkâ interluitur, alteroque duorum insuper circumuenitur. Aa flumen riuis campestribus auctum, Vrbis mœnia circumfluit; ostioque retinetur, ne siccas destituat mœnium fossas, dum Merkę fluminis aquæ (quibus se intra Vrbem permiscet) per æstum decessere; simul molam frumentariam versat lento in Vrbem illapsu. Locus, quo inuicem sese fluuij miscent, à Merkæ in Aa influxu, amborum corruptum retinuit nomen, *Merkendael*, quasi Merkæ in Aa. Merka aggeribus lateritijs duobus abs Aâ in ipsis mœnium fossis disclusus, Vrbem interlabitur, naturâ multas in partes diuisus, latiorque paulatim in Hollandicas aquas, haud procul Dordraco sese effundit. Æstibus quotidie geminis concitatur, exæstuatque obiectis catarrhactis in suburbanum agrum, quoties libitum est oppidanis.

Duo Bredæ flumina. *Aa flumen muros circumluit.* *Origo nominis* Merkendael. *Flumen Merka vrbē interlabitur.*

Ab Aâ, Vrbi olim Bredaa, Brabantis nomen conditum aiunt; quibus *breed* latum significat, quasi Aa fluuij latè sese explicantis alueum exprimere voluissent. Vrbis medio edita turris est, altitudine pedum CCC.LXII. vnde liber in vicina oppida patet despectus, opportuna significationibus è longinquo faciendis accipiendisque. Domus censentur ferè ad mille ducentas. Figura oppido triquetra, nisi Arx mœnibus inædificata, leniter vno latere protruderetur. Hæc mœnibus, aggeribus, pontibus, armamentario, geminoque aquæ circumductu munita, ambitu complectitur passus ampliùs mille. Xystis prætereà, porticibus, columnis, ambulationibus, hortóque tam amœno est instructa, vt fortior an elegantior sit, difficilè iudicetur. Mœnia Vrbis perpetuo quercuum ordine consita, non lateritio sed cespitum aggestu structa, portis lateritijs tribus ad ternos Vrbis angulos (præter eam quâ ex Arce itur) aditum præbent. Mœnium Arcisque interiacentis latera sustentant munimenta omnino XV. in quibus disposita tormenta, molæque nonnullæ frumentariæ, quæ velis ventóque concitantur. Colles duo in mœnibus, è quibus longiùs machinæ suas pilas permittunt.

Breda vnde nomen acceperit. *Turris in Vrbis medio quanta altitudinis.* *Quot in Vrbe domus.* *Quæ Vrbis figura.* *Arx qualis.* *Mœnia qualia.* *Munimenta Boluects XV.* *Colles Italis Cauallieri, Belgis Catten vocantur.*

tunt. Sub his ad pedem mœnium in ipsis fossis munitiunculæ humiliores duæ, qualis alibi tertia, cui supernè collis impositus non fuit. Hæ sunt quædam veluti receptacula, ad quæ subterraneis portis aditur, eminentque ex aquis altitudine pedum quatuor. Infernè circùm pedem mœnium seps spinea, incisis inflexisque ramis, atque in latitudinem intertextis, quæ iaculatoribus mœnibúsque munimentum præbet. Fossæ inæquali latitudine patent; quando plurimùm, passibus CL. cùm minimùm, passibus LXX. In fossis abscissæ è terrâ moles XIV. triangulari formâ cuspidum instar, è medio fluminis circumlabentis eminent: quarum ternæ, impositis portarum pontibus, muro mœnium coniunguntur; binæ item aggeribus retentæ ad diuidendas in fossâ duorum fluminum aquas: tertia, ponticulo ex Arce imposito, continetur Arcis muro. Fossarum ripam extimam, lorica altitudine pedum quinque circumuenit, extrorsum leniter decliuis ad tutelam iaculatorum: (*contrascerpam* appellant.) Huic loricæ intercedunt quinque munitiones magnæ, quaternis Vrbis Arcisque portis, longissimo item mœnium lateri præstructæ, fossisque circumcisæ, latitudine passuum XXX. His omnibus munitionibus latera recta longitudine pedum CCX. latitudine CL. Maxima quæ Arci obiacet, longa est passibus CCXL. lata CC. Frons omnibus in angulos curuata more bidentis; hinc Cornutorum eis operum nomen. Sudes acuminatæ eminent vndequaque ad tardandum ascensum, si qui in muros connitantur. Trans fossas externarum munitionum receptaculum præiacet septum murulo in cubitum curuato ad tegendos iaculatores, (Mediam Lunam dicunt) fossâ alterâ cinctum. Ab hac fossâ, intercapedine passuum aliquot, lorica procliuis (qualis Vrbem totam circumdat) externas has munitiones quoque cingit. In id receptaculum militi aditus ex fronte operum Cornutorum, ponticulo trans fossam strato.

Latitudo fossarum.

Moles, Rauelins XIV.

Quæ qualiáq; munimenta Vrbis externa.


Opera facta ad tutelam externarum munitionū.

Omnia autem hæc Vrbis munimenta, interna externáque,

que,



A. *Munimenta seu Bolwers.*
B. *Moles seu Rauelins.*
C. *Colles. seu Caualliers Catten.*
D. *Receptacula in fossis mœnium.*
E. *Lorica seu contrescerpe.*
F. *Munitiones cornutæ.*
G. *Receptacula brachio munita.*
H. *Insula suburbana murulo loricata.*
I. *Portæ Vrbis et Arcis.*


Merka flumen
Aa flumen
Merken
dael
VIO
A
B
E
F
G
I

que, tam aptè ſunt inter ſe diſpoſita, itáque inuicem reſpondent, vt alia alijs editiora, alia altitudine paria, inuicem ex alto lateribúſque tueantur; atq; ex vltimis ad vicina (ſi quando eſſet vſus) defenſoribus ſit receptus. Denique ſuburbanum ſolum eo eſt ingenio ſitúque, vt aut perpetuis æſtuarijs, aut ſuperfuſis ſubitò ſtagnis, latè ſit inacceſſum. Inſula præterea ſuburbana contra Arcem abſciſſa ad expediendum nauium curſum, cingitur circumuallatione muri mediocriter alti. Ad hanc formam Mauritius muros inſtitui, munimenta, moles, vallos, loricas, foſſáſque fieri, à biennio mandauerat. Cùm verò ipſius oppidi ſitus opportunitáſque, ad quoddam quaſi militaris diſciplinæ gymnaſium in eo excitandum, ſuapte naturâ cultúque inuitaret, eam Vrbem, tamquam optimam militię palęſtram, ceteris in exemplum propoſitam eſſe, Ordines fœderatarum Prouinciarum cupiebant; exteri plerique exiſtimabant. Huc ergo iuuentus præcipua Gallica, Anglica, Germanicáque ad condiſcendas belli artes conueniebat. Huc Mauritius (quoties de munitionum accuratis abſolutíſque operibus ſermo incidiſſet) militiæ peritos remittere, tamquam ad exemplar, conſuêrat. Huc Emanuelis Portugalli filium ſibi ex ſorore nepotem, peditum cohorti præfectum, vnà cum cohorte miſerat. Huc vtrumque filium ſuum nothum, quorum alter quoque cohortem ducebat, ablegarat.

Ordo aptus operum omnium inter ſe ad mutuam tutelam.

Suburbanũ Bredæ ſolum quo ingenio.

Breda militia palæſtra, & exemplar quoddã abſolutiſsimæ munitionis.

Vrbi adminiſtrandæ præfectus erat Iuſtinus Naſſauius, Mauritij frater nothus, vir longo experientiæ vſu præſtans, qui oppugnationem ſuſtinere conſilio, obſidionem parſimoniâ tolerare poſſet. Præturam gerebat Ioannes Aertſenius VVermontij Dominus, vir animo non minùs conſtanti, quàm iudicio acri ad annonæ diſpẽſationem moderandam, temperandaſque ſeditiones, & conſilia in ſubitis ac deſperatis rebus ſuggerenda. Præſidio Vrbi diſponi ſolitæ vulgò peditum cohortes XVI. Arci prætereà vna. Equitum quinque. vniuerſim milites MDC. Sed recèns audito rumore belli, ad-

Bredæ Præfectus Iuſtinus Naſſauius.

Prætor ſeu Droſſardus Ioannes Aertſenius.

Quantum vulgò Bredæ præſidium, quantóque numero recèns auctũ

Quot ciues armis idonei. iunctæ erant cohortes pedestres octonæ. Ciuium verò qui arma capessere possent, numerati MDCCC. quibus Aertsenius *Ciuibus Tribunus datus Aertsenius.* Tribuni vrbani auctoritate imperabat. Militi annona in hiemem prouisa, siliginis mensuræ octies mille ducentæ: auenæ *Quanta militibus prouisa annona, quanta imperata ciuibus.* bis mille octingentæ: casei pondo tria millia sexcenta; totidemque aselli siccati. Ciuibus (priusquam ad obsidendam Vrbem cum exercitu veniremus) duodecim mensium frumentum vt conuectum haberent, viritim fuerat imperatum; nihil vt necesse esset de militari annonâ eos delibare.

Quæ res Spinolam excitarint ad tentandam Bredam. Ad hanc Vrbem expugnandam, cùm multa Marchionis Ambrosij Spinolæ animum impellerent, tum multa etiam contrà reuocabant. Incitabat inprimis loci opportunitas, cùm ad cohibendas crebras hostilis equitatus in Brabantiam excursiones, quas inde commodissimè quoquouersus instituebant, tum etiam ad nauigationem omnem inter vicina Bredæ confiniaque Hollandiæ ac Zelandiæ oppida impediendam; quod, propinquis locis aliquot occupatis, haud magno negotio fieri posse existimatur, incredibili hostium damno. Alliciebant prætereà commoditates multę, ad hanc Vrbem potiùs quàm aliam attentandam; solum nempe suburbanum, ducendis fossis, agendis vineis atque aggeribus, faciendisque operibus aut ad impressionem aut ad circumuallationem opportunum: flumen ad aquandum vtile, facile interclusu; quo facto, obsessi commeatu penitus prohiberentur. Vicinæ ad lignandum siluæ, vberrimi ad pabulandum campi. Illud denique occurrebat; Bredâ captâ, Bergozomium, aliaq; propinqua loca faciliùs recuperari posse.

Quæ res incommoda ad Bredam occupandam. Contrà verò deterrebat Vrbis & manu & naturâ tam munitæ robur: sed præcipuè, summa supportandi è longinquo commeatus difficultas; cùm aut hostes magno circuitu essent vitandi, aut vrbes nostræ omnes longis terrestribus itineribus abessent, aut ipsæ annonâ suâ indigerent; nec à tergo facultas esset fluminis, quod nauigari onerarijs posset ad cibaria supportanda. Breda autem, è propinquo, quasi hosti-

hoſtilium vrbium theatro quodam, media includeretur. Relinquebatur, vt maximo carrorum numero, longinquis impeditiſque per hiemem itineribus, frumentum cibariaque nobis ſubueherentur; quod nec ſine duplicatis militum copijs, nec ſine grauiſſimo periculo fieri poſſe conſtabat.

Status Belgij quis, cùm Spinola Bellum cœpit.

Hic Belgij rerumque noſtrarum hoc tempore ſtatus erat. Philippus IV. Hiſpaniæ Rex inducias denuò cum fœderatis Ordinibus pangi vetuerat, ſentiens caſtrenſem illam pacem bello eſſe nocentiorem. Archidux Iſabella Clara Eugenia Hiſpaniarum Infans, Alberti Principis Optimi, vitâ functi, coniux, exercitum, quem in Belgis Rex florentiſſimum habebat, otio ignauiaque languere, ducebat ignominioſum. Nondum vindicatum erat Bergozomium; quo poſt obſidionem retento, hoſtes gloriabantur. Pacata bellis interquieſcebat Germania. Mansfeldici nothi vires nomenque propè iacebant extincta. Integra cum Galliæ Angliæque Regibus fœdera pacis conſtabant. Cum ſolis coniuratarum Prouinciarum perduellibus iuſtæ intercedebant inimicitiæ. In hos bellum conuerti placuit non dominandi libidine, ſed Religionis reponendæ ſtudio, rerumque recuperandarum.

Spinola, conſilijs celatis, paulò pòſt Idus Iulias anni M. DC. XXIV. Bruxellâ profectus, cùm ipſo anni tempore ad bellum vocaretur, ſegete iam maturâ, copias mouit.

Spinola quo conſilio expeditionem ſuſceperit.

Ita verò rem belli omnem integram ſibi reliquerat, vt etiamſi Bredam oppugnare apud animum ſuum decreuiſſet, tamen ſi id confieri difficilè poſſe deprehendiſſet, (præſidio fortè maiore, vt accidit, ab hoſtibus immiſſo) ipſe, ex quolibet quo conſtitiſſet loco, expeditionem aliam quamcumque (vti ex vſu bonoque præſens iudicaſſet) ſuſcipere poſſet; armis pro arbitrio, in quam vellet partem, conuerſis.

Copiæ tripartitò ductæ.

Copiæ conſultò, ad fallendum hoſtem, tres in partes diuiſæ; iterque à propoſito diuerſum, alia in loca conſtitutum. Spinola ex itinere per Aſperum Collem tendens (vbi auguſtum illud Matris Virginis templum, tot prodigijs per orbem

Spinola in Aſpricollenſem Virginem religio.

bem nobile) ritè obitis Chriſtianæ Religionis myſterijs, votiſque pro exercitu ad Aram Marianam conceptis, aliâ pedites, equites aliâ Ludouicus Velaſcius Comes Salazarius equitum Magiſter circumduxit. Ioannes Brauius Antuerpienſi arci præfectus exercitum (quem Gonſaluus de Corduâ Legati auctoritate adminiſtrarat) accerſitum è Markiâ miſſus, eodem quo conuenerat tempore locoque, haud procul Turnhautano municipio, ſuperioribus eum copiis iunxit. Hîc obiter à Spinolâ recenſitus exercitus, minorque opinione repertus, cùm fusè euntes numerum vero ampliorem effeciſſent. Cetera miles lectiſſimus, qui virtute paucitatem expleret. Erant Legiones omnino XV. conſtantes manipulis CXCVIII. equitum cohortes XXXIX. capitum anguſtè ad octodecim millia.

Exercitus opinione minor repertus.


Spinola exercitus initiò quantus.

Iuſtinus Naſſauius præſidium auget peditum cohortibus XX.

Iuſtinus Naſſauius, conſiliorum noſtrorum ignarus, ſed prouidus, quàm ſtatim huc veniſſe Spinolam audiuerat, cohortes peditum quinque è propinquo Sualüenſis agri tractu Bredam accerſit, aliaſque deinde XV. ex Hollandiâ ad Sualüam recèns appulſas (in quibus Prætoriæ duæ Mauritij & Henrici Principum fratrum, Primipilique multi) cum ipſis Tribunis Hauteriuio Gallo, Morgano Anglo, & Loquerenio Hollando. Poſtridie verò quàm propiùs acceſſiſſe Spinolam ab eo fuit intellectum, dimiſſæ Gertrudibergam equitum turmæ tres, Comitum Culenburgici & Styrum, Præfectique Villebonij Galli, ne ſcilicet equorum nimium eſſet pro anguſtâ pabulatione, quando equeſtres cohortes duæ, cum pedeſtribus XLV. Vrbi abundè eſſent ad tutelam. Tribunis, qui recèns aduenerant, per mœnia externaſque munitiones, ſuæ ſingulis attributæ ſtationes. Hauteriuio, qui Gallos VVallonesque ducebat, ad portam Ginekenſem; Morgano Anglorum Præfecto, ad Siluæducenſem; Loquerenio, cui Belgæ Scotique parebant, ad Antuerpienſem, cuſtodiæ obuenerunt. Hi ſtatim ingenti celeritate, ſingulis externarum munitionum cornibus, loricas ſingulas; earum

Iuſtinus Naſſauius equitatum minuit cohortibus tribus.

Noua Bredanorum extra muros opera.


SPECIMEN OPERIS CORNVTI.
A. Frons operis cornuta.
B. Fossa lata passus XXX.
C. Receptaculum.
D. Murulus terreus.
E. Fossa altera.
F. Lorica decliuis.
G. Vrbis moenia.
H. Fossa moenium.
I. Opus nouum, post aduentum nostrum in Gilsam, externis munitionibus circunductū a Bredanis, interuallo passuum CXL.
K. Lorica seu brachia tria fronti et cornibus munitionum praestructa.
L. Fossa.
M. Seps sudium in decliui Lorica circum fossam.
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M

rum ſinui ſeu fronti mediæ, brachium in cubitum curuatum præſtruxêre, inſtar tridentis: depreſsâ circumquaque foſsâ, cuius ripam lorica ſeu contraſcerpa obibat, denſaque ſeps ſudium duabus pinnis ſupernè inſtar ericij armatarum, ne quis varicando tranſiret. Interuallum à ripâ extimâ cornutorum operum ad tria vſque brachia eorum cornibus obiecta, fuit paſſuum CXL. in quod ſpatium admittebatur miles ſubterraneo cuniculo ab lateribus cornutorum operum extrorſus. Atque hæc prima fuêre opera Mauritianis munitionibus adiuncta, ex quo obſidionem vereri Bredani cœpêre. Spinola quintis caſtris, Gilſam (qui pagus itinere horarum duarum Bredâ abeſt) cum exercitu venit. Hîc Tribunis militaribus pleriſque, diuerſis ab alio ſingulis, in conſilium adhibitis, ecquid de Bredæ oppugnatione cenſerent, exquirit ſententias ſingulorum. Singuli oppugnationem diſſuadere: Oppidum firmiſſimis operibus munitum dicere, ſtagna (quoties oppidani flumen extruderent) toto agro ſuburbano latè exæſtuare; Vrbem multas in partes flumine eſſe diſcerptam. Auctum præſidium manipulis pedeſtribus XXVIII. Copias noſtras propter exiguitatem vix tantæ oppugnationi pares fore, ad quam numero æquè atque animis ſit opus. Si verò à tergo hoſtis cum exercitu ad oppugnanda caſtra noſtra priùs veniſſet, quàm nos Vrbem tam firmam expugnaſſemus, neceſſariò nobis aut diſcedendum turpiter fore, aut tantillas copias geminæ impreſſionis periculo, à fronte, à tergo, temerariè obiectum iri.

Spinola Tribunos in conſilium adhibet.

Tribuni diſſuadent Spinolæ oppugnationem Bredæ varijs de cauſis.

Marchio Spinola, auditis Tribunorum ſententijs, ſciens alias eſſe Imperatoris, alias Legati partes; illum liberè ad ſummam rerum conſulere, hunc omnia ad præſcriptum agere debere; eodem loci reſtitit, Archiducémque Iſabellam, quid Tribuni cenſuiſſent, edocuit. Illa, intellectis tantis Bredani præſidij incrementis, tot virorum fortium periculo fortunam tentari nolle, reſpondit. Iniquitatis ſe condemnari debere, ſi eorum vitam non haberet cariorem, quos ſci-

Spinola ad Archiducem Iſabellam refert ſententiam Tribunorum.

Archidux Iſabella Tribunis conſentiens, cenſet oppugnatione abſtinendum.

ret

ret ſic animo comparatos, vt nullum, ſi iuberentur, diſcrimen recuſarent. Ne tamen tam lecta militum manus exſors gloriæ, re infectâ, domum rediret, circumſpiceret Spinola, quid geri deinde ex re bonoque eſſe exiſtimaret.

Noua cum Henrico Comite Bergio conſilia communicantur.

Spinola, conſilijs cum Henrico Comite Bergio ſummo Geldriæ Præfecto (qui cum altero exercitu ad Rhenum in æſtiuis erat) communicatis, Optionem Franciſcum Loſanum ad eum cum literis mittit, rogatum quid in rem fore cenſeret; ſimul Carolum à Burgundiâ Baronem VVackenium Gandauenſis vrbis Prætorem equitum Præfectum, ab caſtris ad Paulum Bernardum Fontainum, VVallonicæ legionis Tribunum, Prouinciæque Flandriæ copijs præpoſitum, ablegat; qui cum eo de Caſantæ (inſulæ haud procul Slusâ ſitæ) occupatione tractaret. Ab his diu ſecum, deinde etiam coram Illmo Alphonſo Cardinale de la Cueua Legato Regio diſputatum; atque vti ſuum cuique arbitrium erat, ita ille rem facilem, hic difficilem affirmare; Fontainus diffidere, VVackenius euentum polliceri. Fontainus tamen ad exequendum offerre ſeſe, ſi modò mandatis ſcriptis (purgandi ſui causâ) iuberetur. Archidux in ſpem euentus pronior iuſſit, diemque expeditionis præſcripſit. Diſceſſit igitur eas ob res Brugam Fontainus. Submittitur poſt triduum VVackenius; ſed rebus iam omnibus comparatis, Archidux verita vt feliciter expeditio eueniret, abſtineri mandat.

Expeditio in Caſantam inſulam proponitur, moxque deſeritur.

Spinola Tribunos interrogat quid cenſeant de obſidendâ Bredâ.

Intereà Spinola concilium iterùm cum idoneis habet; Tribuniſque omnibus, Centurionibuſque nonnullis, ſeorſim ſingulis, ad ſe vocatis proponit, quid de Bredâ obſidendâ iudicarent, quando impreſſione tentandam nuper negaſſent. Hîc omnes denuò (vno militari Tribuno excepto) cauſſari obſidionis difficultates. Vrbem, niſi maximo interuallo, circumuallari non poſſe. Circumuallationis circuitum quatuor aut quinque ampliùs horarum itineris neceſſariò fore debere, ob demiſſa quàm plurima ruris ſuburbani loca, quæ partem ſint paluſtria atque æſtuarijs inacceſſa, par-

Omnes obſidionem diſſuadent, vno excepto.

Cauſa ob quas reiecta obſidio.

tem reſtagnent, cùm oppidani flumen oſtio morantur. Iam id tantum ſpatij, tot ſtationibus cuſtodijſque explendum fore, vt ferè inter ſe contingant, aut Vrbem alioqui difficilè interclusum iri. Militis verò facultatem deeſſe, qui tot in partes diſtributus, vrbem coronâ cingere poſſit. Ingentem præterea frumenti numerum, vel hiemi tolerandæ, militibus in vrbe prouiſum; ciuibus viritim fuiſſe imperatum. Denique longi temporis laboriſq; fore rem, Vrbem rebus omnibus affluentem fatigare fame: præterquam quòd ſi maiore exercitu conflato ad ſoluendam obſidionem, à tergo hoſtis adueniret; ſine pugnâ etiam, carpendis tantummodò impediendíſve commeatibus noſtris, ad receptum nos cogi poſſemus, inopiâ maiore inediaque ſubacti. Adeò diuerſam quippe illorum noſtramque eſſe conditionem, vt illi vndequaque propinquis fluminibus vrbibuſque, rerum omnium copiâ facilè eſſent abundaturi, cùm nullus propè ventus flare poſſit, qui non alicui ſubuectioni eſſet ſecundus, pro vario vrbium portuumque ſitu. Bredæ enim proximè adiacent Seuenberga, Gertrudiberga, Heuſda, Ordinum fœderatorum oppida, interuallo horarum trium quattuórve; præter nonnulla municipia, haud multò remotiora, quę mari aut fluminibus omnia alluuntur. Nos autem Bredanis ipſis citiùs ab re frumentariâ laboraturi eſſemus, ob longas duraſque annonæ ſupportationes, itinere terreſtri, quod vnum, & quidem periculoſum, in caſtra noſtra pateret; niſi hoſtis etiam id iter penitus intercluderet obſideretque. Antuerpia certè, Mechlinia, Liraque (quæ propinquiora è noſtris Bredæ oppida) decem duodecímve horarum ſpatio; Siluaducis & Herentalia (quæ vrbes proximæ) horis omnino nouem Bredâ abſunt. Vnus aliquis Tribunorum animo diuerſus fuit, qui hiſce omnibus poſthabitis, vel eâ re Bredam tentandam cenſebat, quòd acerbius nullum vulnus Mauritio accidere poſſe dictitaret, cùm eam vrbem in oculis gereret; quâ amiſsâ, plurimum quoque apud omnes amiſſurus eſſet auctoritatis. Neque

Iniquior nobis conditio ad Bredam obſidendam, atque Hollandis ad liberandam.

Ordinũ fœderatorum oppida Bredæ proxima.

Regiæ vrbes à Bredâ remota.

Rationes ob quas Tribunorum vnus Bredam obſideri ſuadet.

Silua Ducis

Creuecuerium

Heusda

Worcomium

Gorcomium

Turnhoutum

Commeatus per ambitum tractum.

Herentalia

Via publici

Via ordinaria

Hooghstrata

Breda

Gertrudi-berga

Seuenberga

Oudenboscha

Roosendalia

Steenberga

Bergozomium

Thola

Lyra

Mechlinia

Antuerpia

Lillo

Numeri significant horas itinerum.

* Signum locorum hostilium.

que verò credibile eſſe,ita obſeſſos rationes omnes ſuas inſtituiſſe, vt nihil tanto in numero, breui eſſet defuturum, cuius inopiâ ad deditionem coacti impellerentur. Vrbem externæ opis indigam fame vrgeret; clauſis annonæ ſubſidijs, inopiam ac diſcordiam ciuibus militiq; breui eſſe effecturum.

Miſſi cognitum, Bredâ propiùs inſpectâ, diſſuadent obſidionem.

Miſſi ad cognoſcendum fuerant, Franciſcus Medina, Matthæus Ottanes, & Ioannes Medicæus, Tribuni militares: qui renuntiabant, humum quidem ducendis foſſis aggeribuſque agendis idoneam; flumen aquationi, ſiluas lignationi, agros horreaq; pabulationi opportuna videri: ſed metuenda ea omnia, quæ contra obſidionis conſilium ab ceteris erãt Tribunis allata, vehementiùs quoque affirmabant; tantumque ſpatij coronâ cingi non poſſe. Intereà ab Rheno (quò miſſus fuerat) redit Loſanus cum literis Bergij, qui (cognito quid de Bredæ oppugnandæ difficultatibus Tribuni omnes cenſuiſſent) Spinolæ proponit, ecquid de Embricę ac Rhezę oppugnatione videatur? Iſthîc ſe cum exercitu præſentem eſſe: copijs aliquantò auctis, ſtratóque nauali ponte, ac maiore vnâ munitione ad Rhenum factâ, Embricam videri obtineri poſſe; quâ captâ Rhezam vltrò debere venire in poteſtatem. Sin autem pontem fieri (ob nauium inopiam) diſpliceret, Grauiam ſupereſſe & Raueſteynij Geneppæque arces, quæ ſimul obſideri poſſint. Diſpiceret ſecum quid fieri mallet, interrogato priùs Antonio Barone Grobbendonckio Siluæducenſis vrbis Præfecto, homine eorum locorũ perito.

Henricus Bergius conſilium ſuggerit obſidendæ Embricæ ac Rhezæ, aut Grauiæ, Raueſteynij, & Geneppæ.

Spinola, remiſſo cum Loſano, Franciſco Medinâ Hiſpanæ legionis Tribuno, hactenus conſilium Bergij probari ſibi ſignificat, quatenus Grauiam, Raueſteynium, Geneppamque ſpectaret, petitque quanto eam in rem ſubſidio opus habeat.

Henricus Bergius indicat quanto exercitu opus ad Grauiam reliquáque loca obſidenda.

Orat Comes Bergius ſubſidio ſibi mitti quinque peditum millia, equites mille, quibuſcum reliquę copiæ ſuæ ſatis eſſent expeditioni conficiendę. Iubet verò Spinolam ſecurum cum exercitu Gilſæ in pago conſidere, hoſtemque diſtinere ancipitem, ne tutò Bredana aliáve præſidia deducere poſſet, ad

Grauiæ

Spinola consilium Henrici Bergij cum Isabella communicat.

Spinola exquirit sententiam Antonij Baronis Grobbendonckij super obsidione Grauiæ aliorumq́; locorum.

Grauiæ obſidionem perturbandam. Spinola & conſilio lætus, & affirmatione tanti Ducis fiſus, rem ad Archiducem Iſabellam refert, miſſo Medinâ Tribuno, ſimulq́; Baronem Antonium Grobbendonckium (vti Bergius fieri optauerat) ad ſe euocatum, interrogat, quid de propoſitâ Grauiæ, Raueſteynij Genneppęque arcium obſidione cenſeret? Is tot ſimul expeditiones, non ita, atque credebatur, faciles eſſe, apertè dictitabat; ſperari tamen à Comite Bergio, homine militiæ ſcientiſſimo, ijſque in locis verſato, & poſſe & debere.

Gilſa pagus caſtris inidoneus ob aquæ inopiam.

Diebus multis in hanc dubitationem conſumptis, exercitus Gilſenſi in pago languere animis cœpit. Flumen (quæ proxima caſtris aqua) duorum millium aberat. Putei qui pauci reperiebantur, aut æſtibus exareſcebant, aut vſu nimio exhauriebantur, aut extracta aqua adeò turbida erat, vt non niſi longo temporis ſpatio liqueſceret ſubſideretque.

Intolerabilis militum ſitis.

Multos igitur ſitis impatientia, maximis anni caloribus, adigebat ad inſalubris aquæ potum, vel è foſſis, vel è curruum orbitis hauſtum, quæ morbos efficiebat. Spinola incommodi admonitus, ne leuem aliquam auditionem pro re compertâ haberet (quò omnia ſibi eſſent exploratiora) Tribunos aliquot aduocatos interrogat, tantâne, vt monebatur, aquandi inopiâ miles laboraret. Illi aut vitium caſtrorum indicare veriti, (quòd auribus ſeruire mallent) aut ſuâ opulentiâ aliorum inopiam menſi, aquam ſuperare ſuis affirmant. Monitor, præſentibus Tribunis, à Marchione Spinolâ accitus, dum fidem indicio præſtare pergit, commodùm interuenit Ioannes Comes Naſſauius legionum duarum Germanicarum Tribunus, qui militum ſuorum calamitate narratâ, monentis dicta ſuſtentauit.

Rei veritas deprehenditur.

Ac tum eorum, qui negauerant, vnus, clàm in aurem ingerit monitori, gratiam ei ſe indicij debere, quod facere ipſe timuiſſet.

Spinola puteos fodi imperat.

Spinola, re compertâ, puteos fodi paſſim imperauit, maloque remedium inuentum fuit.

Noua caſtrorum damna.

Quadraginta panum millia eâ cæli intemperie fuêre in Gilſenſibus caſtris corrupta. Simul eo ferè tempore duarum

rum

rum legionum Italicarum tuguria fortuito incendio deflagrarunt. quibus omnibus incommodis cùm nulla ad eum diem ſtipendia eſſent numerata, & graue mercibus pretium eſſet, militiam fugâ multi deſerebant. Quod exemplum veritus Spinola ne ad plures pertineret, ſeueritate remedium quæſiuit, retractoſque ex fugâ deſertores quatuor, ſorte experiri fecit, quem vnum è quaternis alea capitis condemnaret.

Fuga militum caſtigata.

Intereà in caſtris multorum liberæ audiri voces: Agendi tempus conſultando tranſmitti; militem, exiſtimationem, prolatando dilatandoque perdi. Petulantiùs autem ab hoſte multa in Regem Hiſpaniæ Spinolamque ignominiosè facta. Apud Hollandos, à Mimis ludi præbiti in morem Attellanæ, quos * Hiſpanicam Bombomachiam appellarunt. Sparſa item per vulgi manus ridicula Regis imago Bredam laternulâ quærentis, aſtante ſibi Spinolâ, qui vtrâque manu ſcalpebat caput, dentato carmine ſubſcripto. Mauritius rerum omnium (vt ſibi videbatur) ſecurus, Hagæque in otio quaſi per contemptum degens, ſalsè dixiſſe fertur: Spinolam Gelæ (vbi vecordes amentiâ liberantur) ſatiùs quàm Gilſæ fuiſſe conſeſſurum. Sed hæc ſpreta exoleuere, neque iræ confeſſione agnita ſunt.

Quorumdam in Spinolam obtrectatio.

Hoſtium in Regem & Spinolam ſcommata.

* Le bouha Eſpagnol.

Mauritij in Spinolam iocus aculeatus.

Spinolâ, conſilio oppugnandæ Grauiæ ab Archiduce Iſabellâ probato, miſſo cum mandatis Ioanne Medicæo, homine totius artis militaris per longam exercitationem apprimè perito, Henricum Comitem Bergium cum exercitu, quem ad Rhenum habebat, ad Grauiam contendere iubet, pollicitus, petitas ab eo copias ſe ad certum diem eſſe ſubmiſſurum. Simul ab caſtris ſuis ſubſidio mittit Comitem Ioannem Naſſauium (qui oblatum recèns à Republicâ Venetâ copiarum ſuarum imperium repudiarat) cum peditum millibus v. equitum cohortibus IV. additis tormentis maioribus tribus, ſcaphis XIIX. reliquoque impedimentorum apparatu. Ioan. Conrardum Aubermontium equeſtris turmæ Præfectum, ob locorum gnaritatem, Siluaducis, vbi reſtiterat, comi-

Ioannes Comes Naſſauius ſubſidio mittitur Henrico Bergio.

Conrardus Aubermontius locorum peritus Comiti Naſſauio additur.

comitari imperat. Altero die Hyacinthum Velaſcium Marchionem Beluederium cum reliquo decem cohortium equitatu, ad mille omnino equitum, ſubmittit, datis mandatis, vt Grauienſi agro, longè lateque, pecus omne abigeret, locoſque quibus caſtra deinde à Comite Bergio locarentur, eius ad arbitrium tueretur. Comes Bergius ad Grauiam proficiſcens, celerrimè Mondelbergam arcem, Cliuos vrbem arcemque, & Geneppam vrbem ex itinere adortus, vi deditioneque capit, præſidiaque imponit. Adeò autem monentis Ducis auctoritas Cliuenſibus profuit ad militem à rapinâ deterrendum, vt nec vnius delatum fuerit nomen, qui furto quippiam abſtuliſſe compertus ſit ex domibus copioſiſſimâ ſupellectili inſtructis, è quarum feneſtris tectiſve reſtantem arcem verberari imperarat. Quam rem cùm poſteà Cliuenſis Conſul ipſe celebraret; Mauritius Naſſauius & tantam militis innocentiam, & ſummam Ducis virtutem, non ſecùs ac Scauri cuiuſdam integritatem, intactas etiam arborum fruges à militari licentiâ vindicantis, fuit admiratus. Mouckam pagum Moſæ imminentem commeatui opportunum, vallo munitioneque ab latere aduerſo firmat, ibidemque caſtrametatur. Inde ad Batenburgum & Raueſteynium explorandum, hoſtiumque opinionem fallendam, cum XV. equitum turmis, iaculatoribus CCC. diſcedit.

Marchio Beluederius Hyacinthus Velaſcius cum reliquo equitatu Naſſauium ſubſequitur.

Bergius Mondelbergam, Cliuos & Geneppam vrbem capit.

Bergiani militis innocentia.

Bergius Mouckenſi pago ad Moſam caſtra metatur.

Raueſteynium Bergius explorat.

Marchio Beluederius magno pecoris numero potitus, abacto quidquid ab Grauiâ Raueſteynium vſque armentorum erat, & ad Siluamducis miſſo, multum latè terroris immiſit. Henricus Bergius, Batenburgo Raueſteynioque exploratis, Ioannem Naſſauium & Conrardum Aubermontium ad ſe accerſit. Hunc cum mandatis ſignificatum Marchioni Spinolæ mittit, non ita facilè, atque crediderat, Raueſteynium expugnari poſſe, ſed Grauiam (ſi Spinola iuberet) Raueſteynio prætermiſſo, tentaturum ſe eſſe; ſperare, maioribus aliquantò copijs miſſis obtineri poſſe. Ioannem Naſſauium, altero Moſæ latere, haud procul Grauiâ, locare caſtra iubet, ipſe

Marchio Beluederius plurimum pecoris Grauiâ abigit.

Comes Bergius de Raueſteynio expugnando diffidit, & Spinolæ indicat.

Ioannes Naſſauius caſtra aduerſo Moſæ latere locat.

ipſe Mouckæ tantiſper reſtiturus, dum Spinola, quid fieri placeret, indicaſſet; ſignificat autem, Moſam intereà ſe ponte conſtraturum, ad exercitum traijciendum, iungendúmque, ſi vſus foret.

Bergius Moſam ponte conſternit.

Inſolens cæli tempeſtas.

In id tempus horrenda adeò noctis vnius tempeſtas incidit, imbre, vento, fulmine, tonitru diutiſſimè ſæuientibus, vt confundi elementa, cælum ipſum miſceri terræ videretur. Denſiſſimæ tenebræ, perpetuus ignium intermicantium fulgor, mugitus continens tonitruorum, imber non guttatim lapſus, ſed fluminis inſtar; ventorum turbines violenti. Omnia denique ad terrorem vltimæ calamitatis. Eâ nocte Henricus Fredericus Naſſauius, Henrici Bergij caſtra nondum munita, toto exercitu inuadere deſtinarat, niſi tempeſtas conſilio auertiſſet. Triduo pòſt, Grauienſi milite prodire iuſſo, maioribus iterùm copijs Bergiana caſtra laceſſitum venit: ſed cùm neque Grauienſes in tempore adeſſent, neque Bergius ſua caſtra munitionibus nuda reliquiſſet, exiguâ velitatione lis omnis dirempta eſt. Ioannes Naſſauius, vti præſcriptum erat, caſtra ſua haud procul Grauiâ ponit, locum tam idoneum nactus, vt flumine à dextris, à fronte & ſiniſtris, riuo è flumine ducto cingerentur. Foſſam tamen à fronte lateribúſque eo interuallo præduxit, quod caſtris & aquis intercedebat aduerſus hoſtium traiectum. Pro caſtrorum fronte ſiluæ erant inſidijs opportunæ. Proximè vrbem colles leni faſtigio aſſurgentes, quos equeſtribus cuſtodijs interdiu occupatos, noctu inſidiarum metu Naſſauius deſerere cogebatur. Hinc paruulorum equeſtrium præliorum occaſio quotidie erat, cùm manè pro tumulis per noctem ab hoſte inſeſſis, noſtri ad eum ſubmouendum dimicarent.

Henrici Naſſauij conſilium tempeſtate impeditum.

Idoneus caſtris locus à Ioanne Naſſauio lectus.

Grauienſis Præfecti inanis terror.

Stakenbrouckius vrbi Grauienſi præfectus, per noctem machinato aduenientis exercitus ſtrepitu, quaſi in caſtra irrupturus, bellicum canere iuſſit; poſtridieque à Naſſauio in colloquio (cuius copiam Præfectus fieri impetrarat) interrogatus, ecquid ſomnum ſibi militibuſq; tanto ſcilicet ſignorum

ſtrepi-

ſtrepitu obturbaſſet? Reſpondit, ſe verò mirari ampliùs, ecquid ille eas vrbes armis repetitum veniſſet, quarum hereditatem iure fortè aliquando eſſet aditurus. Cui contrà Naſſauius: eam ſe hereditatem (quòd caduca eſſet) in præſentiâ prætermittere, ſed ambire ſuam Grauiæ præfecturam. Quo audito Præfectus; Ad eam ergo aſſerendam, inquit, domum redeo. & cum dicto diſceſſit, moxque ex vrbe iaculari in Naſſauij caſtra cœpit, ſicut ambitus pœnas exacturus.

Acutum Comitis Naſſauij reſponſum.

Sub hæc, ab Henrico Bergio Gilſam redierat Aubermontius: cuius reſponſo audito, mirari Spinola, quâ causâ Bergius tantas ſuo ipſius conſilio (cuius ſe principem erat profeſſus) difficultates obijceret. Sed quoniam tamen, quod fuerat ab eo de Raueſteynio propoſitum, metu euentus retractaret, cuperetque (ſi iuberetur) ad Grauiam proficiſci, id faceret iuſſu ſuo, eoque celerrimè contenderet. His cum mandatis Franciſcum Medinam, addito Aubermontio, ad Henricum Bergium denuò remittit. Intereà Gilſam ipſe duodecim turribus humilioribus terræ aggeſtu ſubſtructis omni ex parte circumuenit, ne quà hoſtis in caſtra eruptionem improuisò facere poſſet.

Spinola Bergij excuſationem de Raueſteynio factam miratur.

Spinola Gilſenſia caſtra XII. turribus ſeu reductis circumuenit.

Eâ re animaduersâ, Bredani, rati obſidendæ vrbis conſilium à nobis depoſitum eſſe, ſupellectilem omnem, quam in vicina oppida obſidionis metu compulerant, belli iam ſecuri, nauigijs referri mandabant; neque cibarijs in longius ſpatium prouidebant, ſed exiſtimantes ſe eâ quoque annonâ abundaturos quam in hiemem compararant, centum ipſos boues recèns in vrbem importatos, naueſq; duas caſeis onuſtas (cùm emere recuſaſſent) educi denuò permisêre. Agreſtes præterea omnes, eorumque vxores ac liberos, qui priùs in vrbem confugerant, quoſque vt mures roſoreſque frumenti egredi iuſſerant, ad conſulendum annonæ (ſi obſidio accidiſſet) iterùm ex agris, quos noſtri populabantur, refugos mœnibus accepêre, non exiguo cibariorum damno, vtpotè homines ſtomacho ventreque capace.

Bredani decepti ſupellectilem exportatam denuò referunt.

Bredani ſecuri multos bello inidoneos muris admittunt, magno annonæ damno.

Spinolæ castrametatio Mauritium ambiguum tenet.

Illud prætereà eâ Spinolæ castrametatione effectum est, vt neque quid seriò moliremur,neq; quid fingeremus, Mauritius intelligere posset, Grauiámne scilicet, an Bredam, an simul utramque, an aliam vrbem aliquam aggredi esset constitutum. eâque re ita variuš agitabatur, vt (cùm neque præsidium vrbe alterâ ad alterius opem deducere auderet,neque ad vtrámque liberandam satis suppeteret copiarum) neutri tantisper prouidere posset. Tandem ex Hagensi suo viridario ad Henricum Fredericum Nassauium fratrem in castra ad Neomagum profectus , Bommeliam tormenta multa magnósque belli apparatus inuehi , vicinosque Siluæducensibus locos muniri iussit. Quamuis autem multis belli administratio longiùs duci sine fructu videretur, illud tamen morâ ipsâ obtinebamus, vt hosti,cùm iam Autumnus præcipitaret, nihil idonei temporis superesset ad bellum aliâ in parte conflandum , nobis iam in quamcumque occasionem paratis.

Mauritius in castra ad fratrem tendit, Bommeliamq; munit.

Vtilitas ex obsidendi morâ.

Dux Boullionius Bredâ discedit, studio experiundi belli Grauiensis.

Eius apparatus famâ (quo Grauiam tentare velle videbamur) in vulgus elatâ, Dux Boullionius Gallus, qui quod Bredæ bellum expectauerat , ad Grauiam translatum esse credebat, eò fortunæ experiundæ profectus, reditu deinde (cùm Bredam obsedissemus) fertur fuisse interclusus. Henricus Bergius, Grauiæ situ naturaque cognitis, auditis etiam sententijs accolarum, contrà omnia deprehendit, atq; quorum indicio fretus, Spinolam excitarat. Apertè videbat, vix trimestri spatio id bellum confici posse, intereaque ob altissimas quæ deiectæ circùm vrbem erant valles (in quibus castra fuissent collocanda) hibernis aquis certò se submotum iri. Affirmabant agrestes, ceterique qui naturam loci norant, exeunte vere oppugnationem institui debuisse, vertenteque æstate confici sperare potuisse. Exeunte Autumno loca omnia latè restagnare, fierique inaccessa. Commodùm aduenerant id temporis à Spinolâ missi Medina atque Aubermontius, qui mandata Comiti Bergio perferebant de Grauiâ,

Henricus Bergius alia omnia, Grauiâ cognitâ, deprehendit, quàm à cognitoribus didicerat.

Mandata Spinolæ, Bergio relata.

Grauiâ, vti receperat, obſidendâ. Spinolam quidem miratum de Raueſteynij deſperatâ victoriâ fuiſſe, quando tam certam eius obtinendæ ſpem feciſſet. Si tamen id fieri non poſſet, iubere ad Grauiam quamprimùm aggrederetur. Comes Bergius iam lapſus quoque Grauiæ ſubigendæ ſpe, vtrumq; ad ſe miſſum admonet, de eâ obtinendâ ſe id temporis deſperare. Geneppâ arce, ſi Spinola permitteret, breuî ſperare ſe eſſe potiturum; quâ expugnatâ, Grauiam aliàs facilè conſequi poſſit. Illi attoniti, interrogare quid id demum rei ſit? Intelligere ſe non poſſe, ecquî Grauia tantillo interuallo, quo neque præſidij, neque commeatus, neq; temporis conditio vlla iniquior interueniſſet, tantò iam facta eſſet munitior, vt nullo modo capi eius ipſius ſententiâ poſſet? Orare ſe, Spinolæ nomine, vti animos nō demitteret, vniúſque vrbis victoriam ſperaret, qui tot ſimul aliarum expugnationem propoſuiſſet. Multa ad hæc Comes reſpondere; hebdomadarum ferè trium iam tempus lapſum, quo res omnis initio expediri debuiſſet. Hoſtem intereà Gallicis Anglicíſque ſubſidijs copias confirmaſſe ad Neomagum, neque procul abeſſe. Si Spinola ipſe, exercitus ſui parte ſubmiſſâ, accedere propiùs vellet, periculum ſe facturum.

Comes Bergius Legatis à Marchione miſſis affirmat de obtinendâ Grauiâ ſe deſperare.

Reſponſa Legatorum.

Comitis Bergij excuſatio.

Hæc atque id genus plura, cùm ſatiùs ducerent qui miſſi fuerant, non niſi ſcriptis mandatis renuntiare, litteras ab eo ad Spinolam auferunt, quarum hæc ſumma erat: Satis patere, quâ fide ſtudióq; ad propoſitas abs ſe res fuiſſet aggreſſus, quando Mondelbergam arcem, Cliuos eiúſque arcem, & Geneppæ vrbem eo ſolo conſilio ad deditionem ſubegiſſet, abſque quibus exercitum ſuum ſuſtentare non valuiſſet. Eius quidem ſententiæ auctorem ſe fuiſſe, ſed obſequentiâ Spinolæ, quem diuerſum agitari, atq; animi pendere de Bredâ obſeruaſſet. Credidiſſe, quæ propoſuiſſet, confici potuiſſe; ſed falſum hominum duorum indicijs, quibus plus nimio priùs tribuiſſet, quàm ipſe exploraſſet. Conſilium patrocinio non egere; inſolens non eſſe, pro viſis audita, à ſpeculato-

Henrici Bergij litera quibus ſe Spinolæ purgat.

 ribus



ribus narrari, ita maximos sæpè duces fuisse deceptos. Affir- "
mare se denuò, eam obsidionem id temporis institui nullo "
modo posse, quòd improuisa multa iam contrà euentura de- "
prehendisset; facturum tamen imperata, nullumque pericu- "
lum recusaturum, modò mandatis scriptis Spinola iuberet, "
ijsque eum simul Regi purgaret, si (vti futurum ipse iam "
præsentiebat) res infeliciter euenisset. "

Spinola consilium de Bredæ obsidione retentandâ.

Spinola, his litteris acceptis, depositâ Grauiæ potiundæ spe, totus animo in dilatam Bredæ obsidionem insistens, Comite Nassauio & Marchione Beluederio, cum summissis copijs, reliquiisque aliarum legionum aliquot, quarum ad Bredam partes erant, in castra reuocatis; Henricum Bergium à Geneppensis arcis oppugnatione abstinere, hostique vicino inuigilare, & propinquis Geldriæ oppidis prouidere, neq; mouere se, nisi mouente hoste, mouentem ijsdem vestigijs insequi iubet. Ab castris Franciscum Medinam ad Archiducem Isabellam legat, qui deposita nuper Bredensis obsidionis consilia ei denuò amplectenda proponat. Illa memor difficultatum, quæ maximæ tum fuerant aduersus obsidionem allatæ, animi pendens, rem longè arduissimam probat, fisa virtute felicitatéque Spinolæ ductoris sui.

Henricus Bergius iubetur Geldriæ prouidere.

Bergius Spinolæ morem gerens, tantâ se cautelâ à propinquo hoste recepit, vt Mauritius nec maximo xx. millium exercitu exiguas eius quatuor millium pedium, & mille octingentorum equitum copias, collatis signis inuadere fuerit ausus. Comes Ioannes Nassauius, ne suum redeuntis agmen ab hostium circumuenientium copijs carpi aut lacerari posset, triplici instructâ acie explicatum, quasi prælium initurus ducebat.

Comes Ioannes Nassauius copias ad Bredam circumspectè reducit.

Iam mensis & suprà dubitando dilatandóque effluxerat, tot frustrà nuntijs inuicem missis. Multi Spinolæ laudibus publicè obtrectantes, aiebant, rem belli malè ab eo administratam esse: domi opus fuisse consulto, facto in castris. Nonnulli alteram Bergozomiensis receptus ignominiam cum risu

Quorumdam in Spinolam criminatio.

risû inter pocula celebrabant, Mauritium ſcilicet ipſi ſuper mensâ debellaturi. Alij Henrici Bergij fidem in ſuſpicionem vocabant. Quidam denique in hiberna redeundum, opportunitatibus omnibus iam per moram corruptis, dictitabant. Spinola, cùm ad eum diem neque vineas egiſſet, neque æneas machinas vrbi admouiſſet, neque præconis proclamatione legem vllam ſtatiuorum caſtrorum publicaſſet (quorum vnicum ſaltem priùs fieri oportuiſſet, quàm poſita fuiſſe obſidio, militari lege cenſeri deberet) hucuſque licere ſibi dicere cum Cæſare Rubiconem tranſituro exiſtimauit: Etiamnum regredi poſſumus. criminatorúmque omnium dicta factis fortibus refutauit. Ne autem aut Henrici Bergij fides, aut fama ſua laboraret, eius litteras publico de negotio ſcriptas, duobus ſcribundo adſtantibus conceptas, Archiduci mittendas, earúmque exemplum publicandum duxit; ratus nullo veriore atque ipſius Comitis Bergij teſtimonio, ſe illúmque purgari poſſe.

Spinola Henrici Bergij fidem, vulgatis ipſiuſmet litteris, tuetur.

Militum ergo cenſu priùs inſtituto, quàm ſtipendia numerarentur (quod totâ deinde obſidione perpetuum ferè tenuit) ne quæſtui miles eſſet, falſúſque numerus deferretur, miſſo ab caſtris ad Iſabellam Comite Henynio Tribuno, copias nouas deſcribi ad ſex millia VVallonum quadringentos; arma commercari, reliquum belli apparatum comparari, veteranos præſidio deductos, ſubſtitutis tyronibus, in caſtra ſummitti prôcurat. Sublatâ deinde omni domum reditionis ſpe, nullo nouo conſilio habito definit, Bredam proficiſcendum.

Cenſus habitus, nouaq́ copia ſcripta.

Comes Henynius ad nouas copias obtinendas miſſus.

Quinto Kalend. Septemb. Franciſcum Medinam cum cohortibus equitum x. peditibus ad millia IV. primâ noctis vigiliâ nouis caſtris locum antecapere præmittit; primâ Hiſpanis acie aſſignatâ. Ginekam deſignat proximum Bredæ pagum: quid, quóve pacto agi placeat, monet. Heydam (qui aduerſus Ginekæ obiacet, vltra vrbem pagus) Paulus Ballionius Italicæ legionis Tribunus eodem tempore occupat,

Gineka pagus à Fran. Medinâ occupatus.

Heyda pagus à Paulo Ballionio inſeſſus.

cupat, instructus legionibus suâ & Scoticâ Comitis Argueilij, manipulísque XIV. diuersarum legionum, & bonâ equitum manu, paucísque tormentis: atque hoc Italis cornu attributum.

Bredanis inopinantibus obsidio inchoata, susceptaq́; hinc inde velitationes.

Ita duo simul vrbis latera, quæ ad obsidionem instituendam maximè necessaria erant, nocte vnâ obtenta. Bredanis accolísque priùs nostrorum aduentus visus, quàm famâ perlatus. Quem vbi peracto sub lucem itinere cognouerunt, Bredani septenis tormentis die toto iaculari, suburbanas domos emisso milite tueri, agrestes diffugere, milites hinc inde paruis prælijs dimicare, damno vtrimque paruo; nisi ridendos sese Bredani iaculatores propinassent, qui tam certò tormentorum suorum pilas contorquebant, vt occiso proximè vrbem molitore, equitum etiam suorum excubantium cohortem ex statione, ad vrbem propiùs, periculi metu, cogerent redire.

Spinola cum exercitu proximè Bredam veniens, è turri templi Ginekensis castrametationem designat, vrbémque cognoscit.


Ginekensi pago primæ munitiones fieri cœptæ.


Quæ Heydensi pago loca munita.

Ballionius XII. onerarias hosti eripit.

Spinola, primâ luce, Gilsâ cum reliquo exercitu mouet, Ginekamque sub meridiem inuectus, conscensâ primùm templi turre, locũ castris idoneum ex alto describit. Riuum paruulum (quo corticum mola versabatur) Medina insederat. Hunc iacto primùm vallo, deinde munitione maiore, occupari mandat, turriculis ternis secundùm viam & castello factis, iaculatoribúsque, qui præsidio essent, post sepes & virgulta occultatis. Pontem quoque, qui Merkæ haud procul Ginekensi templo incumbit, custodit. Ioannem Medicæum Heydam circummittit ad idoneum castris locum deligendum. Is ostia omnia, quibus campestres aquæ aut retinentur, aut in Merkam elabuntur, maiorem item collem, quem à Cuniculis appellant, occupanda ostendit. Primo hoc obsidionis die, Paulus Ballionius duodecim onerarias Bredam deuectas, multo commeatu supellectilísque familiari onustas, lintribus deprehendit, deprehensásque excepit: augurio Victoriæ ferè certo, cùm tot onerariarum præda auspicium faceret illius vrbis recipiendæ, quæ olim onera-




A. Turris alta 362. pedes.
B. Arx Nassauiorum.
C. Hortus Arcis amœnissimus.
D. Merka flumen.
E. Aa fluuius.
F. Catarrhacta fluminis Merkæ.
G. Ostia fluuij Aa. et mola aquaria.
H. Tres portæ Vrbis et vna Arcis.
I. Colles duo altiores in mœnibus.
K. Tria receptacula in fossis mœniũ.
L. Munimenta XV. Boluers.
M. Seps spinea ad pedem mœnium.
N. Moles XIV. Reuelins.
O Lorica circũ fossas. Contrescarpe.
P. Maiora opera cornuta V.
Q. Receptacula præstructa operibus cornutis.
R. Brachium et loricæ ante cornua.
S. Quatuor munitiones cornutæ minores.
T. Sudes pinnis præfixæ.
V. Insula suburbana.
X. Collis in quo Mola Cæsarea.


Pag. 25.
BREDA
NOVIS OPERIBVS
POST
SPINOLÆ ADVENTVM
MVNITA.
T
R
Q
P
S
T
N
L
H
N
L
D
F
G
N
E
A
L
N
X
L
N
H
L
N
L
O
L
M
N
N
O
P
O
O
O
S
Q
R
T
T
L

onerariæ dolo Regi fuerat per fraudem erepta. Vectores, exſcenſu in aduerſam ripam facto, priùs diffugêre, quàm capi à noſtris poſſent. Præda militi nautíſque ceſſit.

Bredani ſe tuentur vi atque incendio.

Eo die Bredani ſuburbanas Ginekenſis vici domos, vi armiſq; ſuſtentarunt, ſed noctu deſertas ſpoliataſq; ad XXX. incendêre. Poſtridie Aertſenius Tribunus vrbanus, octonis ciuium cohortibus ſtipatus, ſiluam Mauritij, quæ mœnibus ſuberat (Belckrombosch vocant) excîdit, ne noſtri ſcilicet nemoris latebris tecti, propinquis arci munitionibus improuisò imminerent. Ea ligna in auctione venum iêre.

Silua Bredæ proxima à ciuibus excisa.

Loca quædam ſuburbana à Bredanis incendio deſtructa.

Sequentibus diebus leues aliquot velitatiunculæ, hinc inde erumpentibus Bredanis, ſuſceptæ, oblatumque ab ijs incendium horreis nonnullis villiſque ſuburbanis. Tum domus ciuium omnes auctoritate publicâ luſtratæ; inituſque frumenti numerus, Mauritioque, vt ſciret, indicatus. Molam deinde (quam Cæſaris appellabant) Hagenſi viâ fruſtatim deſtructam in vrbem referri placuit; collemque, in quo mola ſteterat, muniri. Cornutas item munitiunculas quaternas fieri ad tutelam quatuor munimentorum, quæ mœnium muros ſuſtentabant. Bredam tot ſimul operibus firmatam, placuit hac tabellâ ſpectandam exhibere.

Frumenti numerus Bredæ initus.

Bredani munitiunculas nouas externis operibus adijciunt.

Domus ſuburbanæ à Bredanis exuſtæ.

Subinde Hagenſes domus multæ, excitato à Bredanis incendio, deflagrarunt. Intereà pagis duobus, Ginekâ & Heydâ, obiter à noſtro milite communitis, paucos poſt dies Teteringam & Hagam, aduerſos inuicem pagos, ex altero vtroque vrbis latere firmandos Spinola mandat. Teteringa Baroni Ballanconio legionis Burgundicę Tribuno: Haga Iſenburgico Comiti Germanicæ legionis Chiliarchæ obuenit: ſuæ ſingulis legiones datæ cum cohortibus variarum nationum, iuſtoque equitatu. Huius autem generis munitiones ferè inſtitutæ ſunt. Muro terreo foſſaque caſtra ſingula (præter Ginekenſia) circumciſa. Murus in altitudinem erat pedum octonûm, craſſus pedes XI. internè ſuppedaneo ſcamno pedum III. circumducto ad vſum iaculatorum: depreſſa

Teteringa & Haga pagi aduerſi à Spinolâ occupati.

Teteringa Baroni Ballanconio.

Haga Comiti Iſenburgico occupanda tuendaq; data.

Quomodo caſtra ſingula communita, & quanta magnitudinis muro.

 extror-

extrorſus foſſa in pedes VII. latitudine pedum x. fundo contracto in pedes IV. Heydenſis pagus, quòd longiùs pertineret, geminis caſtris ſub vnius Ballionij imperio eſt diuiſus. Collem à Cuniculis appellatum, ipſe præſidio tenuit. Haud procul eo colle pontem Merkæ inſtrauit, ſcaphis ſubiectis, quæ tabulatum ſuſtinerent. Scaphæ anchoris ex prorâ puppique vtrimque deſtinatæ ſunt, ne æſtu mouerentur. Loricæ è ceſpite ad vtramque ripam ponti pro frontibus præſtructæ. Trabes pedales ad perpendiculum directæ, dimenſæ ad altitudinem fluminis, fiſtucis in fundum adactæ infra ſupráque pontem. Vectoriæ nuper captæ ſupra pontem anchoris religatæ, ne quâ parte hoſtis per vim nauibus flumen tranſire conaretur. Extimam Heydenſis pagi partem (vbi maiora aquæductuum oſtia) Carolus Roma, Italicæ legionis pro Marchione Campolattario Tribuno legatus, munitionibus aliquot muríſque circumuenit.

Pons Merkæ fluuio inſtratus ex aduerſo collis Cuniculorũ.

Seps lignea ponti præfixa.

Heydenſis pagus binis caſtris diuiſus, extremis Carolus Roma præpoſitus.

Tum demum vrbis circumuallatio adminiſtrari quaternis ſimul partibus cœpit, murulo terreo ex pago in pagum, ex caſtello in caſtellum perducto, turribúſque ac munitionibus alijs interiectis, interuallo ſubinde paſſuum quadringentorum aut ſexcentorum, præter, propter, vt natura ſitus viarúmque exigebat; quibus obſtructis, eruptiones erant impediendæ. A ſuis ſinguli caſtris ad vicina caſtra procedebant. Ab Ginekâ, Hagam verſus, Marchio Campolattarius; Teteringam verſus, Ioannes Comes Naſſauius, opera promouebant. Hîc caſtra fuêre Spinolæ, contenta vallo paſſuum ſeptem millium, ſed interrupto, quòd à tergo præcipua equitatus ſtatio eſſet. In his proximi vrbem cum Franciſco Medinâ erant Hiſpani, caſtello, vallo foſſiſque tecti. Inde aliquantò remotiùs, caſtellum foſſis ponteque mobili circumciſum ſubrexit tenuitque Ioannes Clarus Guſmannus Hiſpanicæ legionis Tribunus. Latus caſtrorum aduerſus Chamenſem planitiem, muniebant Ioannes Hinnus de Tabora Tribunus, mox Prorex Inſularum fortunatarum, & Emmanuel

Circumuallatio ſimul vndequaque inſtituta.

Quâ ratione circumuallatio facta.

Quantum ſpatij ſingula caſtra occuparint.

Prima Spinolæ ad Bredam Castrametatio, binis primum partibus, deinde quaternis instituta.

K. *Haaa pagus.*
L. *Principia Castrorum Isenburgici.*
O. *Progressus operum a Castris in Castra.*

F. *Heyda Pagus.*
G. *Catarrhacta*
H. *Principia castrorum Bagliony.*
I. *Pons Navalis.*

Statio Castrorum Comitis Isenburgici usque ad pontem navalem

Statio Castrorũ Paulli Bagliony.

Statio Castrorum March. Spinolæ.

Statio Castrorum Baronis Balanconij.

A. *Gineka Pagus.*
B. *Mola Corticis. ubi Comeationes.*
C. *Turricula propter viam.*
D. *Castellum.*
E. *Principia Castrorũ Spinolæ.*

M. *Tetteringa pagus.*
N. *Principia Castrorum Balanconij.*
O. *Progressus operum a Castris in Castra.*

Prima Bredæ circumuallatio circulo duplici leuioris operæ facta.

Boeck

Haaga

Heyda

Tetteringa


manuel Franco Protribunus Diegij Ludouici Oliuera. Ballionij castra ſpatium obtinebant paſſuum octies mille quingentorum. Ballanconij fuêre cincta partem vallo paſſuum ter mille ducentorum, partem Nigro, quem vocant, aggere, longo paſſus bis mille quadringentos. Iſenburgici claudebantur vallo perpetuo paſſuum nouem millium quingentorum. Sic vt primæ huius circumuallationis circulus exterior continuerit paſſuum millia triginta ſexcentos. Interior contra vrbem ductus, externo diſtabat plerumque paſſibus ducentis : quod interuallum erat viarium à caſtris in caſtra, complectebaturque ambitu, ſpatium horarum ferè v. Habebat autem vterque in altitudinem pedes non ampliùs v. craſſus infernè pedes v i i. inde à ſuppedaneo gradu faſtigiatim collectus in craſſitudinem pedum i i i. vtrique exteriùs præducta foſſa alta pedes v i. lata ſupernè pedes v i i. ſolo infernè patente pedibus i i. lateribus procliuè iacentibus, ne arenæ ab ripis directis facerent labem. Vtrique inædificatæ aut præſtructæ turres caſtellaque ad LXX. quibus miles turmatim caſtellatimque diſpoſitus per obſidionem fuit. Atque ita protenſis veluti brachijs, ex aduerſo inuicem ciuitatem paulatim Spinola quaternis caſtris, coronâ duplici incluſis, complexus eſt: planè vt minora hæc caſtra maioribus incluſa, caſtellorum atque arcium locum obtinerent. Id quod eâ præcipuâ ratione inſtituit, vt & paucorum militum labore tantum opus perficeret, & magnis ex vrbe eruptionibus pares vbique cuſtodiæ noſtræ eſſent; quæ ſi multas ſimul in partes fuiſſent diuiſæ, hoſtili haud dubiè iniuriæ periculóque expoſitæ, nihilo celeriùs opus abſoluiſſent. Quæ circumuallandi ratio etſi vicinis agreſtibus tempus relinqueret frumenta pecoraque in vrbem comportandi, quibus famem obſeſſi diutiùs poſteà tolerarent; nobis tamen ea neceſſariò, ob eas quas diximus cauſas, tenenda fuit vel tantillo incommodo accepto. Et ſanè ad obſidionis huiuſmodi adminiſtrationem, magno vſui Spinolæ fuit, nauitas peritiaque Marchionis

Prima circumuallationis circuitus quantus.

Muri vtriuſque valli quales.

Quot primæ circumuallationis opera.

Qua cauſa circumuallationis ad eum modum adminiſtrata.


Murus prioris circumuallationis terreus.
V
VII
VII
Turres seu Redouttes e cespite.
Castella terrea seu Fortz.
Turrium et Castellorum primorum æqualis altitudo et crassitudo.

chionis S. Angeli Ioannis Medicæi Ex-tribuni. Is namque non belli ſcientior quàm prouidentior hoſtilium machinationum, conſilio iuxtà ſcientiaque plurimùm adiuuabat. Ille aditus exituſque omnes explorabat; ille loca hoſti præcipienda nobiſque occupanda indicabat; ille aggeribus erigendis, foſſis ducendis, munitionibus faciendis, modum celeritatemque diligentiâ ſingulari ac labore perpetuò adhibebat.

Incendia à Bredanis oblata.

Eo animaduerſo, obſeſſi ſuburbana ædificia reliqua quaqua verſus incendêre, ne aut ad ſtruendas inſidias, nobis opportuna relinquerentur, aut ſibi ad iaculandum eſſent impedimento: ad quadringenta & quadraginta deflagraſſe vniuerſim obſeruatum.

Eruptio Bredanorum.

Tum noſtros operi deſtinatos, Bredani, Hagenſi portâ eruptione factâ, mille circiter iaculatorum agmine ſunt adorti; cumque ternis continenter horis dimicaſſent, in vrbem à Comite Iſenburgico repulſi ſunt, vulnerato Mauritianæ cohortis Primipilo, qui triduo pòſt viuere deſijt, deſideratis prætereà nonnullis, nemine ex noſtris interempto.

Comitis Iſenburgici reſiſtitis virtus.

Bono noſtro Bredani eruptionibus abſtinent.

Quas eruptiones ſi perpetuò diuerſis è partibus feciſſent, noſtris ſanè initio, ob paucitatem laboriſque moleſtiam fatigatis, grauiſſimum accidiſſet, eodem ſimul tempore propugnare & munire. Verùm per eam quietem, quam nobis relinquebant, vterque totius circumuallationis murus paulatim eſt perfectus, ædificatæ in eo turres, ſubſtructa caſtella, quorum formam præcedenti paginâ exhibemus.

Quales turres.

Turres terreæ lateribus in quadrum rectis, angulo nullo eminente, interiùs patebant plerumque pedibus L. exteriùs vndequaque LXXX. ceruis, loricâ, foſſis (vallo etiam ligneo pleræque) cinctæ.

Caſtella pleraq; qualia.

Caſtella ex herbido ceſpite, quaternis externè angulis, craſſis pedes XXXV. Singuliſque in vnum ſolummodò latus reflexis, latera habebant longa pedibus C. interiùs LXXX. Par vtriſque hiſce munitionibus externa altitudo pedum XIII. par craſsitudo pedum XV. par vtriſque præducta foſſa, lateribus non directis, ſed iacentibus in altitudinem pedum VIII. lata XII. ſingulis externa ſubſtructio leni

ni faſtigio procliuis, vallis ſupra medium intertextis, in quos ſe induerent, qui aſcendere niterentur; introrſum muri recti altitudine pedum VIII. ſupra quos ambulatio latitudine pedum V. loricâ in orbem præſtructâ altâ pedes V. ad arcendas hoſtium pilas, iaculatoreſque tuendos. Aditus omnium, tabulâ truncóve trans foſſam ſtrato, brachioque in cubitum curuato extrorſum præſeptus; quibuſdam ſeps lignea è ſudibus circumducta. Hæc communis fuit plurimorum caſtellorum turriumque forma, quæ initio ſtruebantur.

Agger paluſtri loco iactus, quantus.

Præter hæc tot munimenta, ab Hagæ pago ad vſque eum pontem, quo Heydæ Haga iungebatur, agger iactus bis mille quingentos pedes longus, latus ab imo pedes XXV. ſupernè pedes XX. altitudine pedum VI. Cuius humus initio mollior, quòd curruum equorumque grauitatem non ſuſtineret, tabulis deinde conſtrata, valuit ad ferenda quoque tormenta. Hunc architecti locorumque periti eo loci fieri debere dicebant, quòd humilius demiſsiúſque ſolum humentibus ſuapte naturâ agris, affluentibúſque campeſtribus aquis, & Merkæ redundantis æſtu, hieme altè adeò reſtagnaret, vt hac nauigari, commeatúſque in vrbem lintribus inuehi, & caſtra vna alijs caſtris penitus diſcludi poſſent.

Quare hic agger eo loci iactus.

Dum verò hæc omnia adminiſtrantur, Spinola obire quotidie, Tribunos Centurioneſque hortari, appellare Fabrûm præfectos: atque vt animo cupienti nihil ſatis feſtinatur, iubere, vt defeſsis integri ſuccederent, ne nocturno quidem tempore à labore intermiſſo. Quâ diligentiâ factum, vt valli duo tantæ amplitudinis, tot turres, tot caſtella, nec maiore quàm decem & ſeptem dierum ſpatio, nec multo milite ferè perficerentur. Magno autem erant ad celeritatem incitamento, & ingentes Nobilitatis præcipuæ conuentus ad condiſcendas belli artes vndequaq; facti, & non paucorum Principum exemplum, qui inter gregarios, belli huius magnitudine excitati, ſtipendia faciebant, & glebas ſuis ipſi manibus circumcidebant, faſceſque portabant. Altera prætereà

Celeritas in faciendis operibus adhibita.

Operum faciendorum quæstu militum subleuata inopia.

tereà longè maxima laboris huius vtilitas ad militum inopiam leuandam præcipuè manauit, quâ vnâ ferè exercitus, ne diffluerct, conſeruatus eſt. Nam cùm rara ſtipendia, eáque non niſi dimidiata procederent, caritas autem magna eſſet annonæ; quotidie militibus, qui operam ſuam pretio locabant, pretium operæ, repræſentatione ſoluebatur. Atque vt noua deinde opera perpetuo obſidionis tempore facienda locata ſunt, ita militi ſemper queſtui ſuus labor fuit. Nonnulli mendicato viuere, quàm eo laboris lucro inopiam adiuuare maluerunt: quod inſtitutum multis vanitas, paucis ſapientia viſum eſt; pauperem incolumi dignitate mendicare & eſurire malle, quàm honeſto labore vitam ſuſtentare. Sed neque defuêre, qui munerum vacationem putarent fuiſſe honoratâ illâ ceſſatione vindicandam. Quamquam res duæ id temporis laborem inopiamque militum vehementer ſubleuabant: caſtrorum inprimis conditio melior, atque illa Gilſenſis pagi; nam hîc flumen riuique ad potum, agri maturo, horrea demeſſo frumento plena: cæli deinde conſpirantis perpetua temperies, quamdiu ferè miles lignis cædendis, virgultorum faſcibus faciendis, ſarmentis comportandis, ceſpitibus circumcidendis, vallo munitionibuſque ſubſtruendis exercebatur. Quibus rebus factum, vt militis noſtri valetudo morbis nullis tentaretur, cùm è diuerſo hoſtium multos grauis autumni peſtilentia febreſque afflictarent. Sed id quoque eueniebat maximè, quòd Spinola veteranum militem laboribus aſſuefactum, imbrium cælique contemptorem deduxiſſet; cùm hoſtium copiæ fluxis tironum ferè corporibus magnam partem conſtarent.

Improbata quorumdam militum ſententia.

Melior poſteriorum atque Gilſenſium caſtrorum conditio.

Miles noſter ſanus dum hoſtis morbis conflictatur.

Hoſtes intereà, prouidendo conſulendoque, tueri ſe quoque conabantur. Ac duo quidem memoratu digna ſub id tempus decreuêre. Primum, vt Aertſenius Tribunus vrbanus, quoties comitia bellica haberentur, dicendæ in concilio ſententiæ, inter ceteros Tribunos ius haberet, quò firmiùs nempe militum ciuiumque vires inuicem necterentur: rati nempe,

Duo hoſtium inuenta ad tolerandam tutiùs obſidionem.

Aertſenius bellico concilio adlegitur.

nempe, aduersus consentientes nihil satis validum fore; contrà, in dissensione nullam perspici salutem. Alterum, vt singuli iuramento adacti, quantum haberent pecuniæ, ad Senatum deferrent, eamque Quæstoribus, Ordinum fœderatorum auctoritate creatis, mutuam darent, ad operum sumptus militumque stipendia persoluenda, quando ærario angustè erat prouisum. Ne quis falleret recusaretque, præiuêre iusiurandum vrbi Præfectus, Tribuni, Prætor, Senatores, Centurionesque militares atque vrbani. Tùm plebs auctoritate victa, haud grauatè secuta est. Collatum æris in publicum, ad centum quinquaginta millia scutorum; quo pecuniæ capite, militi hebdomadatim sua stipendia numerata, operúmque expensæ persolutæ. Insuper nummis quibusdam exoletis publico signo prænotatis, pretium vetus arrogatum, nonnullis etiam auctum, quò conflatum pecuniæ caput cresceret æstimatione. Simul potestas facta ex horreo publico vendendi casei atque aselli siccati, butyro scilicet & carne iam deficiente. Sed ciues, ne quid militi deesset, emptione abstinuêre. Spinola intelligens, tot simul operibus tanto interuallo circuituque perficiendis ac tuendis, simul supportando è longinquo commeatu, exiguas se copias habere, planè vt vno tempore & materiari, & frumentari, & tantas munitiones fieri seruarique necesse esset; præcipuè verò quòd certis rumoribus adferretur, Mansfeldicum nothum per confinia denuò perrupturum, ad intermissa nuper latrocinia exercenda, auocandúmque ab obsidione exercitum Regis Hispani; manipulos XXV. Germanorum liberos, nullius legioni accensos, constantes singulos capitibus CCC. scribi curat. Simul Godefridum Bergium Grimbergæ Baronem (deinde Comitem) ad Archiducem Isabellam ab castris (in quibus equestrem cohortem ducebat) dimisit, vt inde ad Excell^mum^ Comitem Ioannem Tillium, deinde ad Sereniss. Bauariæ Ducem, pro legione vna eorum sacramento absoluta, Hisp. Regi auctoranda, proficisceretur. Is autem non mi-

Bredani coguntur iurati opes suas profiteri.

Ab Optimatibus iusiurandum dictum.

Quanta in publicum collata summa.

E publico horreo annona vendita.

Spinola pro obsidionis magnitudine, audito Mansfeldici nothi aduentu, nouas copias cogit.

Godefridus Grimbergæ Baro Legatus ad Bauariæ Ducem & Comitem Tillium mittitur.

nore ſucceſſu quàm celeritate effecit, vt legiones duæ offerrentur. Simul peditum Centuriones x. in equeſtrem præfecturam promotos, ad totidem cohortes equitum ære ſuo ſcribendas armandaſque, in prouincias, delectus cauſâ, cum conquiſitoribus ablegat.

Mauritius recipiendis Mondelbergâ, Geneppâ, Cliuis diſtinetur.

Mauritius Geneppam vrbem iam vltrò à noſtris, educto præſidio, deſertam; Mondelbergam præterea Cliuoſque deditione recepit. Hoc ille negotio diſtentus, demoliendaque Cliuenſium murorum parte, liberum nobis muniendi perficiendique caſtra tempus reliquit. Huius deinde ad Bredam aduentu rumoribus perlato, noſtri Heydenſis pagi campos, recluſis riuorum omnium oſtijs, latè ſtagno ſuperfundunt, quâ parte introrupturus faciliùs credebatur.

Henricus Bergius Mauritium ſubſequitur.

Henricus Bergius (ſubmiſſo à Spinolâ ad accelerãdum Loſſano) Mauritium, vti iubebatur, breuiſſimis itineribus, etſi minimis copijs, per infeſta Campiniæ loca eſt ſubſecutus.

Brionius Gallus Bredæ manere decreuit ſpe futura cum Mauritio & Spinolâ pugna.

Eâ famâ arrectus Comes Brionius Gallus, qui Bredâ (vbi militabat) per nos in Galliam diſcedendi poteſtatem impetrarat, ſpe nouâ vidẽdæ Bredanæ pugnæ, Spinolæ beneficium commeandi remiſit.

Præda abacta & recuperata. Annona à Seuenbergenſibus petita.

Equeſtre præſidium ſub id tempus Bergozomio egreſſum, cùm prædam aliquam, equoſq; ac vectores commeatui decerpſiſſet, noſtrorum immiſſâ maiore manu, fugatum eſt, prędaq; recuperata. Ab caſtris noſtris Seuenbergam miles inuicem miſſus bono carrorum numero, ad cibaria excipienda. Quòd verò ea vrbs libera ac neutrarum partium eſſet, ne quid per militarem licentiam detrimenti caperet, aut miles vllus incolæ iniuriam faceret, Spinola, allegato Theodoro Schott, qui de caſtrenſibus cõtrouerſijs omnibus, priuatis publiciſque, conſtituebat, aut ſi quod eſſet admiſſum facinus, aut ſi de ſpolijs controuerſia, idem ſummi Iudicis auctoritate decernebat, Senatum iuſſit mercium omnium pretia æſtimare, ſolutionem abs ſe præſtitum iri pollicitus: cùm autem pro carrorum numero, annonæ copia longè ſuperaret, eiuſque vecturam vrbi Spinola imperaſſet, Ordines autem fœderati abs Senatu metuente conſulti, contrà vetuiſ-

Ne iniuria Seuenbergenſibus fieret, vnà cum milite miſſus rerum capitalium Iudex.

Cùm Ordines fœderati vetuiſſent vecturam, Spinola pecuniam à Seuenberganis oblatam repudiauit.

vetuiſſent, ciues bonam æris ſummam emendo frumento obtulêre; ſed eam Spinola repudiauit, affirmans, frumento in caſtris apportato ſe egere, non alibi emendo, aut eorum ære. Ad id oppidum, cùm duo Sacerdotes Societatis IESV, ex ijs qui in caſtris operam militum ſaluti procurandæ nauabant, vnà cum eo agmine ad temperãdam calonum rapacitatem, propulſandaſque iniurias eſſent profecti, & magno Seuenberganis ciuibus vſui fuêre, & irritatæ quorumdam audaciæ Verbi-præconem cum vxore familiaque nequidquam pericula deprecantem eripuêre. Quod admirati, qui de Sacerdotibus ijs aſperiora ſemper crediderant, vulgauerantque; interrogabant, Ex quo tandem atri illi, albi adeò effecti eſſent.

Iniuriæ militares operâ Patrum Societatis IESV propulſata à ciuibus Seuenberganis.

Miniſter Seuenbergenſis cum familiâ ab ijſdem Sacerdotibus aſſertus contra militum minas.

Per eos dies Bruxellam venerat VVladiſlaus Sigiſmundus Magnus Moſcuæ Dux, Poloniæ & Sueciæ Princeps, Iſabellæ Archiducis viſendæ causâ, à quâ Regio ſumptu magnificentiaque fuerat acceptus. Is militiæ non minùs amans, quàm peritus, multis etiam nobiliſſimis victorijs clarus, cùm obſidionis luſtrandæ cupiditate teneretur (obuiàm ſibi cum ingenti equitatu Antuerpiam miſſo Magiſtro Equitum Comite Salazario) in Bredana caſtra extremo Septembri perductus eſt.

VVladiſlaus Poloniæ Princeps Bruxella in caſtra Bredana venit.

Spinola, præmiſſis equis aliquot ephippiatis, omni ferè Nobilitate ſtipatus, ad horas duas ab caſtris progreſſus, aduentantem multis gratulationibus, ſummaque voluntatis ſignificatione accepit. Domi tabernaculum paratum erat, in quo cùm nihil ad ſplendorem Regiámque Maieſtatem deſideraretur, plus tamen erat apparatus militaris, quàm munditiæ cultúſque vrbani. Huc cùm Princeps ſub noctem introduceretur, tormentis omnibus ſemel, iterùm, tertiùm exploſis, ſigníſque canentibus, Lunam Solis aſpectu diſcluſam, lumen omne ſubito terræ interiectu laborantem deſtituit: portento (ſi liceat augurari) Principem illum armis exercitatiſſimum aliquando Ottomanicæ Lunæ fore domitorem. Breda antehac nullo fuerat tormento percuſſa, ſed neque tot

Spinola VVladiſlao Principi it obuiàm.

Splendor quo in caſtris acceptus.

Luna defectus.

Prima nostra in vrbẽ iaculatio festa magis quàm infesta. ſimul ictibus grauiùs eſt læſa, cùm lætitiam, non ſtragem edere, iaculatoribus noſtris eſſet imperatum, pilæque complures trans vrbem innoxiæ adijcerentur. Quamquam plus lucri etiam quàm damni eâ iaculatione obſeſſi fecêre, cùm pendendis vectigalibus omnibus fuêre poſt id temporis, de more, liberati. Altero die Princeps, præſidia pleraque à Spinolâ circumductus, obſeſſorum globis, qui densè, vbi confertam vidêre turbam, iaculabantur, ſalutatus eſt. Poſtridie ad reliqua caſtra perſpicienda ſolus cum Spinolâ equitauit, reliquis remanere iuſſis, vt periculo caueretur.

Poloniæ Princeps obit castra.

Galli Nobiles octo perfugæ à nostris capti. Eo ipſo tempore Galli adoleſcentes octo, domi Nobiles, dum Bredâ per nos clàm euadere ad Mauritij caſtra moliuntur, in paludibus fuêre deprehenſi, habiti nõ hoſtium ſed hoſpitum more liberaliter atque vrbanè. *Gallos captos Spinola conuiuas habet.* Spinola illuſtriores eorum (in quibus Marchio Griniolius, Vicecomes Serrius vnà cum fratre, & Baro Blinuillius, præclarâ indole iuuenes) menſæ conuiuas adhibuit, ac deinde cùm (quod orabant) negaſſet, ſuæ conſuetudinis eſſe quemquam per caſtra ſua ad hoſtilem exercitum dimittere, optionem ijs dedit aut in Galliam, aut Bredam vnde venerant, redeundi. *Optio Gallis data redeundi Bredam aut in Galliam.* Quod poſtremum cùm elegiſſent, ne ad ſuſcipiendos quàm ad tolerandos obſidionis labores, promptiores fuiſſe viderentur, rhedâ Spinolæ domum vecti, Bredam ducente buccinatore remiſſi ſunt.

VVladislaus Poloniæ Princeps castris discedens, sapienter de obsidionis euentu auguratur. VVladiſlaus Poloniæ Princeps, operibus, quæ ad eum diem plenè perfecta non erant, perſpectis; aleam iactam eſſe à duobus maximis belli Ducibus, Spinolâ atque Mauritio, dixiſſe fertur, actumque de alterutrius exiſtimatione. Spinola redeuntem extra caſtra comitatus, ſalutationumque officijs perfunctus, Comiti Salazario ducendum Antuerpiam vſque commiſit.

Baro Beauuoixius Mauritio locum præripere mittitur. Pridie eius diei Baro Beauuoixius Burgundicæ legionis Tribunus cum peditibus M C. equitibus D. præmiſſus locum faciundę munitioni propè Ooſterhautum antecapere, quem

magno

magno noſtrorùm incommodo hoſtis inſidere potuiſſet. Ex eo loco poſtridie cùm ſigna hoſtium canere audiuiſſet, antemiſſis qui cognoſcerent, Spinolam admonuit de aduentu. Perlatum fuerat indicio exploratorum, Mauritium Gertrudibergæ cum exercitu exſcendiſſe. De nouâ eius profectione, aliquamdiu nihil percunctationibus reperiri potuerat. Oudenboſcam & Roſendaliam multi eum occupaturum exiſtimabant. Hi loca illa præripienda monebant, ne vllum poſt nos hoſtem haberemus; veriti alioqui vt cibaria nobis commodè ſupportari poſſent, liberaque pabulatione prohiberemur, ſi ea priùs hoſtis occupaſſet. Spinola nihil huic rei præuertendum duxit, ſatis gnarus, neque illis ea loca, ad inſidias, admodum eſſe poſſe opportuna; neque commeatibus noſtris adeò infeſta, quando inde longioribus aliquantò itineribus, ad vitanda eorum caſtra, circumducerentur. Fore tum nempe receptum illis interuallo tanto periculoſum, nobis vitabundis profectionem non intutam. Haud multò pòſt intellectum, Medæ (qui pagus itinere horarum duarum à Bredâ abeſt) exercitum Mauritij conſediſſe. Nimirum id aduentui ſuo tempus captare viſus eſt opportunè, quando omnis ferè noſter eques, Poloniæ Principem comitatus, abeſſet: quò admirabilius multis viſum, id temporis à Mauritio nihil in tam debiles copias noſtras fuiſſe tentatum. Spinola, quod ſatis eſſe viſum eſt militum, munitionibus præſidio circum vrbem relicto, Franciſcum Medinam, Legati loco reſtare iuſſum, Ginekenſibus caſtris præfecit. Ipſe antemiſſis metatoribus, qui locum nouis caſtris idoneum deligerēt, ſtipatus peditum millibus VII. equitum cohortibus XXX. haud procul Ooſterhauto, ter mille paſſuum ſpatio, contra hoſtem caſtra metatus eſt. Nimirum in vnâ occurrendi celeritate, huiuſq; tam idonei loci præceptione, obſidionis vniuerſæ ſumma vertebatur. Nam profectò ſi aut Spinola vel diem vnum cunctando perdidiſſet, aut Mauritius feſtinando tantumdem præuertiſſet, tantilli temporis beneficio Breda

Beauuoixius Spinolam de Mauritij aduentu monet.

Ignota nobis primùm Mauritij conſilia.

Suſpicio quorumdam de Mauritij molitione.

Spinolæ ſolers reſponſum.

Mauritius Medæ in pago caſtrametatur.

Spinola Mauritio obuiàm tendit.

Spinola caſtra ſua caſtris Mauritianis opponit.

Euentus obſidionis pendet ab vnâ celeritate & loci præceptione.

 pote-

poterat conſeruari. Quippe Teteringam inter & Heydam, ampliſſima terræ ſtagnique patebant ſpatia, quâ curribus ad vſq; ſtagnum; trans ſtagnum, lenunculis annona non multo negotio poterat in vrbem importari, ſi ea loca à Mauritio fuiſſent prærepta. Poterat autem id fieri non difficulter, cùm ad id tempus nihil admodum munitionum inter ipſius caſtra & vrbem (præter turriculas quatuor Nigro aggeri impoſitas) intereſſet. Sed Spinola iam multo milite vias aditusque omnes inter eum aggerem & Mauritiana caſtra obtinebat, Mauritiumque præuenerat, ſpe omni penetrandi ſublatâ. Tantum in bellis valet celeritas Imperatorum. Nam quæ hîc alia res quàm celeritas victoriam dedit?

Spinola Mauritio aditum intercludit.

Hîc ingens myriceti planities, quâ aciem latè explicare poſſet, ſi pugna incidiſſet. Hanc equeſtribus cuſtodijs, per tumulos diuerſos diſtributis, obtineri fecit, equitatu reliquo pro fronte caſtrorum remotiùs diſpoſito. A tergo vallus naturalis eminebat Bredam inter & myricetum. Huic imponit tormenta ſeptem, peditatumq; poſt eum locat, virgultis pratorum riuorumque ſuccisis, & foſſis celeritate maximâ completis. Ab dextero latere caſtellum maius, quod Baro Beauuoixius iam ferè perfecerat, Burgundionibus relinquit tuendum. Erat ei caſtello figura quadrata, angulis in latus vnum prouolantibus, eâ magnitudine, vt tormenta imponi poſſent; muris firmitas aduerſus ictus machinarum. longitudo pedum CXX. craſſitudo XXVIII. altitudo XV. Sudes oblongæ vndequaque eminebant, ad tardandum aſcenſum. Interiùs in ipſo muro ambulatio erat & gradus vnus contra loricam, quæ alta pedes V. craſſa X. foſſa exteriùs circumducta, depreſſa in altitudinem pedum X. labris patentibus pedes XXII. ſolo imo pedes XII. ſic vt à ſolo foſſæ ad ſummum murum altitudo eſſet pedum XXV.


Locus aptus inſtruendæ aciei à Spinolâ lectus.


Quæ forma caſtelli maioris, quæ firmitas.

Caſtris ita, vt dictum eſt, diſpoſitis, acie per biduum inſtructâ, Spinola Mauritium expectauit, vt ſi vellet prælio decernere, poteſtas non deeſſet. Nonnemo audiens fortè agitari

Spinola Mauritium biduo expectat acie paratâ.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


Pag. 38.
A
H
C
E
C
E
E
B
B


A. Breda.
B. Castra Mauritij in pago Medæ.
C. Castra noua Spinolæ.
D. Niger agger.
E. Noua Castella Spinolæ.
F. Stagna ingentia arte facta.
G. Statio Balionij et Caroli Romæ.
H. Statio Baronis Balanconij.

tari in colloquio Spinolæ, Reliquáſne copias, deſertis ad Bredam caſtris, in Mauritium ducere præſtaret, nec ne; etſi ſententiam non rogatus, cénſuit; Mauritium non modò non expectandum, ſed caſtris etiam ab vrbe deductis, omnem in eum multitudinem conuertendam eſſe, eoque omnibus copijs contendendum. Is conſilij ſui principem laudabat Parmenſem Ducem, heroëm tot victorijs clarum: qui olim cùm Bredam fruſtrà tentaret, id ſe facturum fuiſſe (ſi hoſtis aduenìſſet) ab eo narrabatur eſſe profeſſus. Spinola, de Parmenſi Duce honorificè præfatus, hominem illum parum cauti conſilij auctorem futurum fuiſſe oſtendit. Haud longè eum videri ab Æſopi Apologo abijſſe, pro certâ obſidione, incertam pugnæ aleam commendando. Id demum fore, canis inſtar, demiſſo bolo, eius vmbram in flumine conſectari, & vtrumque amittere. Non ita ſe eſſe ſuas exercituſque fortunas in dubium deuocaturum: hoſtis eſſe, ſi luberet, inferre bellum; ſuum autem, oblatum defendere.

Cuiuſdam conſilium non probatū.

Facetè Spinola mali conſultoris conſilium refutat.

Haud multò pòſt quidam Tormentario officio præfectus Spinolam interrogat, Quídni Mauritij caſtra, nullis admodum munitionibus firmata, tormentis ſex ſeptémve diſploſis, vltrò iret laceſſitum? Cui Spinola reſpondit: Non pati ſuam dignitatem, vt leuiùs hoſti inſultaret, quàm honeſtiùs ſe reciperet: oſtentatione non aſſueuiſſe, ſed prudentiâ militari: Imperatoris eſſe non minùs conſilio, quàm gladio viribuſque dimicare.

Alterius ſententia à Spinolâ reprobata.

Dignum Spinolâ reſponſum.

Mauritius, caſtris Medæ poſitis, ijs ſe continuit, neque ſui vmquam poteſtatem fecit, neque ſuos longiùs ab caſtris ire permiſit. Quo animaduerſo, Spinola, eiuſdem ferè magnitudinis caſtella v. eidem Baroni Beauuoixio, Ioanni Comiti Naſſauio, Ottoni Henrico Comiti Fuggero, facienda mandat, ab latere ſiniſtro, Heydam vſque; ad omnem Mauritio tranſitum auferendum. Quod ſpatium ingens planè ac magnum, perpetuis inter caſtella muris expletum, primæ illi ſubitariæ circumuallationi deinde fuit adiunctum. His autem

Mauritius Spinola celeritate præuentus conſilio deſiſtit.

Spinola caſtella v. facienda curat, ne quà Mauritius perrumperet.

Varia castellorum forma, sed æqualis omnibus firmitas.

autem castellis omnibus, figura, pro vario situ, fuit quoque diuersa, sed æqualis firmitas atque altitudo cum priore illo Beauuoixiano.

Mauritius operas nostras nullis eruptionibus fatigat.

Mauritius nostros hisce operibus intentos, nullis vmquam diurnis nocturnísve eruptionibus est adortus. Tyrones Anglos (quos subsidio aduocârat) multos per eos dies fugâ amisit. Buccinator quidam Gallus per occasionem rei perditæ in castra nostra ad Ioannem Comitem Nassauium missus, Gallicæ Nobilitatis nomine, propiùs eum Mauritij castris inuitauit, experiundæ cum ijs fortunæ causâ. Comes postridie ad certàm horam adfuturum se tribus cum socijs promisit, gladio sclopisque duobus instructum, cetera inermem. Postridie, vti conuenerat, ad dictam horam vnà cum Centurione Steenhusio, & Pro-præfectis duobus duorum equestrium Præfectorum, Grobbendonckij iunioris atque Botbergij, sub castris hostium constitit. Prodiêre ex hostium castris equites quaterni, alijs eminus ad sexdecim subsecutis, trecentis hostium spectantibus è principijs castrorum, quos inter Princeps ipse Mauritius fuisse fertur. Erat inter quaternos adolescens Briautæus, illius filius, quem olim singulari certamine cæsum Grobbendonckij iunioris pater, amisso Lackerbetio Pro-præfecto suo, superarat. Is in paternæ necis vltionem educatus, misso nuper ad Spinolam tubicine, potestatem sibi fieri flagitarat, experiundæ pugnæ cum filio patrij, vt vocabat, percussoris; quasi serò alioqui periturus: quam cùm ei Spinola recusasset (filio Baronis Grobbendonckij, ne euaderet, custodito) Briautęus occasionem vltrò quærebat, iuuenis animo ferox. Comes Nassauius aduersarium quempiam in certamine nactus, cùm plumbeam eius glandem anticâ ephippij parte excepisset, ceruicem ei fistulæ flamma adussit. Briautæus manu voceque audax; Me, me, inquit, pete, quisquis es: en Briautæum: hic dies, hic dies, paternæ cædis culpam expiabit. Quæ cùm dixisset, equo calcaribus incenso, Grobbendonckij iunioris Pro-præfectum

Gallicæ iuuentutis ad pugnandum ardor.


Ioannis Nassauij Comitis promptitudo ad occurrendum.


Tres Nassauio in pugnā socij.


Briautæus qui pugnam poposcerat, prodit.


Briautæus prouocat, primúsque traiectus cadit.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE









Dimensiones maiorum Castellorum.

ctum ſclopo nequidquam laceſſens, ipſe eius glande traiectus, ephippij capulo ſemimortuâ manu prehenſo, mox ad terram exanguis delabitur: ita duorum Grobbendonckiorum, patris & filij, laceſſita virtus, Briautæos duos, patrem & filium, ſuperauit. Deinde Steenhuſio Centurione, alteroque ex hoſtibus ſauciato, accurrunt ſubſidio ſexdecim à caſtris hoſtilibus progreſſi. Noſtri paulatim ſe recipientes, dum anguſtiùs equitando inuicem premunt, eorum vnus Naſſauium prætervectus, habenas ei, capulo gladij ſui implexas, è manibus extorquet, & gladium ipſe habenis retentum vaginaque eductum amittit. Ita duos ſcilicet inſolens caſus periculo improuiſo obiecit. Sed Naſſauij equus, ardens alioqui atque inquietus, attoniti inſtar reſtitit, Dominoque tempus attollendi freni conceſſit. Alter, relicto gladio, diſcrimini ſe ſubduxit. Cornicularius noſter, qui ſpectatum venerat, Briautæum (hoſtis interuentu) ſpoliare prohibitus, ſpirantis adhuc caput gladio ſauciat, conſcenſoque equo reliquos conſectatur. Paucos poſt dies cùm equeſtres cuſtodiæ noſtræ ſub hoſtium caſtris in conſpectu ſtarent, Boutteuillius Gallus præſidio equitum quinque, eas ſtatione ſubmotum venit. Baro Beauuoixius comitum aliquot numero ſtipatus, fortè ambulabundus, interuenit, cuſtodijſque ſuſtentatis, hoſtem retrò repulit in vicinum nemus. Hinc Boutteuillius pauliſper progreſſus, iactitans identidem nomen ſuum, noſtros ad ſingulare certamen, fiduciâ vicini receptus, ferreique thoracis quo ſub penulâ tegebatur, inuitat. Acceptâ à noſtris conditione, rogatus ab nemore diſcedere longiùs, cùm loco non moueret, iaculatoris cuiuſdam noſtri pilâ ſub renibus vulneratus, ſclopum quem manu tenebat, dolore vulneris dimittens, ſe recepit.

Improuiſum Naſſauio periculum equi beneficio auerſum.

Præco Briautæum adhuc ſpirantem orco dimittit. Hoc habet.

Boutteuillij & Beauuoixij velitatio pro cuſtodijs.

Boutteuillius ſaucius diſcedit.

Intereà dum otia in Mauritij caſtris agi videntur, neque ignem munitionibus noſtris inferre, neque opera impedire, neque eruptionibus laceſſere eorum quiſquam conatur; ipſe, conſilijs ſtudio celatis, quòd dolus poſceret interualla, nec tu-

Mauritius lapſus perrumpendi ſpe, Antuerpienſem arcē adoriri clàm ſtatuit.

F tum,

tum, ſubitò res ſummas aggredi, Antuerpienſem arcem clàm noctu tentare inſtituit. Id quod ita adminiſtrauit. Cognouiſſe putatur paucos milites ſeruandæ arci præſidio fuiſſe relictos, præter eos, qui ætatis aut morbi causâ, vacatione vtebantur. Arx digna illi operæ huius pretio viſa, lucrúmque Bredano damno maius. Igitur Bergozomij & Roſendaliæ in caſtris ſuis diligentiâ tantâ ſuos omnes, appoſitis cuſtodijs, intra muros continuit, vt nec indicio minimo, aut Antuerpiam, aut in caſtra noſtra, molitio maxima fuerit perlata. Brouchemio Bergozomij Prætori, equeſtris turmæ præfecto, Medam ad ſe euocato, mandata expeditionis ſumma. Is pedites mille, equites ducentos (vt vulgatum) omnéque genus inſtrumenta curribus impoſita, ijs quibus dictum eſt locis, deducit. Militi è caſtris & Roſendaliâ egredienti, Bergozomium; Bergozomio abeunti, in caſtra eundum eſſe perſuadetur. Vbi longiùs aliquantò ab vrbe municipióque ventum, puniceos cæruleóſque baltheos (quibus Ordinum miles aſſueuit) omnes demi, rubróſque (quales Regiorum ſunt militum) indui iubet, ne Regias copias mentiti, pro hoſtibus, de balthei colore cogniti, agreſtium delatione proderentur. Rogati ab obuijs qui eſſent; reſpondere docentur, Antuerpiam commeatus causâ ſe proficiſci; quò noſtros nempe, id temporis, commeaturos, rumoribus fuerat iactatum. Carrorum vela Burgundis crucibus (more noſtro) ſignata, fraudem adiuuêre. Ad arcem ipſam perueniunt nubilæ noctis tenebris tecti, colonis omnibus deceptis. Iam palos ternos quaternóſve perfractâ ſepe euulſerant, pontem nonnulli inſcenderant. Ventus in aduerſam partem conuerſus fragorem omnem, equorum hinnitum, curruumq́ue ſtrepitum, ex arce exaudiri prohibebat. Eò audaciùs illi ſcaphas in foſſas dimittere, ſcalas muris admouere, forcipes, malleos, vectes, reliquumq́ue inſtrumentum affabrè ad ſuffringendas clauſtrorum ſeras, portaſq́ue cardinibus extrudendas factum, expedire. Dum proximè muros hæc agun-

Arx id temporis paruo milite custodita.

Brouchemio expeditio mandata.

Insignis hostium astus.

Fraus historiâ digna.

Hostium audacia & euentus.

Tempestas hosti secũda.

Excubitor insidias animaduertit, datq; signũ.

Præfectus arci ceteriq; in muros accurrunt.

Tempestas mutata hostẽ turbat.

Hostis re infectâ discedit.

aguntur, Andreas Cea veteranus, cui noctis illius vigiliæ obtigerant, attentiùs auscultare, deinde etiam exaudito strepitu, insidias suspicari, & signum dare fistulâ explosâ. Ioannes Brauius arci Præfectus, ceterique vigilum, ex statione in muros accurrere, & defensionem parare; hostes eiusdem venti maiore tempestate (quâ priùs moderatâ tutiùs accesserant) ita impediebantur, vt neque iam lintres firmare, neque scalas muro affigere, neque quidquam administrare possent. Relictis igitur per metum instrumentis, scaphis, scalisque aliquot (cùm se sentirent deprehensos) celeriter discessêre, Numinis haud dubiè interuentu reiecti. Ita quæ rebus nostris grauissima sanè accidisset, facilem exitum machinatio inuenit.

Andreas Cea ob arcẽ excubijs ritè obitis seruatam, præmio donatus.

Andreas Cea pro arcis seruatæ officio (liberaliùs quàm olim Capitolij custodes) ab Archiduce Isabellâ donatiuo XV. scutorum in menses singulos; ab Antuerpiensi Senatu, insigni veste baltheoque ornatus est.

Mauritij de aduerso expeditionis successu dolor.

Nouum hostilis equitatus periculũ.

Mauritius eâ spe falsus (quam certissimam animo conceperat) ingenti doloris vulnere ictus, castris aliquamdiu otiosus mœrensq; restitit, tuguriorum suorum plurimis per illius venti tempestatem prostratis. Sed Frisiæ equitatus, eius quoque iussu accersitus, Gertrudibergam appulsus, in discrimen venit. Nam eadem illâ tempestate & aggeres & pons (quo equitatus traijciendus erat) abrupti, omnibus eum sociorum auxilijs interclusit, planè vt à nobis conscindi facilè delerique posse nuntiaretur. Cuius rei admonitus Spinola, cùm dubitasset, inuasurúsne maiore manu eos esset, nec ne; maluit in nocendo aliquid omittere, quàm cum aliquo suorum detrimento hosti nocere.

Marchionis Spinolæ in suscipiendis expeditionibus moderatio.

Nam minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes (cum Augusto) censebat piscantibus aureo hamo; cuius abrupti damnum nullâ capturâ pensari posset.

Mauritius incensis castris discedit.

Tandẽ Mauritius, re nullâ ad Bredam gestâ, post diem XXII. quàm Medæ consederat, vasis conclamatis, incensisque castris, mœstus, numquamque rediturus, discessit. Fertur vix à suis deinde visus; adeò nullum doloris solatium admittebat.

 Spinola

Spinola visis perpetuis incendiorum fumis, magnâ equitum manu ad hostium castra profectus, ea milite vacua deprehendit, extremo agmine iam se recipiente.

Nostrorum in sequendo hoste feruor.

Hîc, quolibet sese bonum strenuumque in ore Ducis probare cupiente, nonnulli hostem ad tutelam agminis restantem, statione submouerunt, dum plurium coacti recursu, honestè sese recepêre.

Præda in castris desertis relicta.

Merces propolarum multumque familiæ castrensis instrumentum reperta, militibus prædæ cessêre.

Prudentissimè à Mauritio receptus institutus.

Ceterùm Receptus hic prudentissimè à Mauritio institutus, tantum ei honoris attulit, quantùm addiderat doloris expeditio infeliciter adornata. Cum Antigono cedente dicere iure posset, non fugisse, sed retrò sitam vtilitatem fuisse se persecutum.

Opera ab Mauritio ad receptum facta.

Ita quippe discedens suæ suorumque saluti consuluerat, vt & Spinolæ impetum operibus factis retardaret, & sui insequendi præsentem adimeret facultatem. Ad extrema castra Svvaliiensis agger pertinebat, quà Seuenbergam est iter: huic pro fronte munitionem receptaculi loco imposuerat. Lateri aggeris, fossam benè altam præduxerat, superstructâ in longum loricâ ad tuendos discedentes.

Receptus quâ ratione tutus.

Huc se illi tutò referebant; hinc si qua maior reliquos oppresserat nostrorum accurrentium vis, propugnabant; hinc ad repellendum procurrebant, vicinitate valli confisi: nam erat id opus firmum adeò atque altum, vt non nisi scalis à latere, à fronte angustissimo itinere oppugnari posset: à tergo altera munitio aggeri imposita loricam claudebat, quâ parte Heydensis pagi agger interscissus erat, ne hac nostri discedentium iter morarentur.

Mauritius Rosendaliam exercitum ducit.

Henricus Nassauius cum reliquo exercitu Sprangam tenet.

Mauritius exercitum bipartitò deduxit. Ipse Rosendaliam cum Ernesto Casimiro Nassauio contendit, locumque vallo atque operibus firmauit. Henricus Fredericus Nassauius Sprangam cum reliquâ copiarum parte occupatum missus est; quem factis quoque operibus communiuit.

Spinola ad veterem stationem reuertit.

Spinola diebus aliquot post Mauritij discessum consumptis, satis & ad laudem & ad vtilitatem profectum arbitratus, in pristina castra propiùs Bredam se recepit. Mauritius paucos dies Rosen-

Rosendaliæ moratus, cùm tentari eius valetudo cœpisset, ad exercitum non manere decreuit. Ernesto igitur Casimiro Nassauio eâ curâ pro se mandatâ, æger Hagam Comitis in Hollandiam refertur, tædio aduersarum rerum. Vbi cùm omnia agitanti, nihil processisse sibi cogitaret, nullumque exitum reperiret, paulatim contabuit, dolore in phthisim, vt fertur, conuerso. Quod vnum fortè euenire poterat, sperabat scilicet, si bellum in hiemem produceretur (vt parum iam supererat Autumni) aut sæuitiâ temporis obsidionem nos esse deserturos, aut ob itinerum difficultates, vicinaq; castra sua, commeatu nos interclusum iri. Ne tamen constantiâ felicitateque nostrâ falleretur, ad nouas copias conscribendas, Mansfeldicum nothum in Hollandiam accersit. Is Hagæ Batauorum cum eo collocutus, Rosendaliam deinde ad Ernestum Casimirum Nassauium missus, postquam quæ ex vsu erant pertractasset, in Galliam Angliamque profectus, auxilia accersitum iuit. Hanc nauigationem cùm hiemi subiecisset, ac primò placidum soluenti esset mare, mox atro nubium globo effusus imber, simul varijs vndique procellis incerti fluctus conspectum ademêre. Omne dehinc cælum, & mare omne in turbines cessit, qui naues in saxa aut vada rapuêre. Non adhærere anchoris, non exhaurire irrumpentes vndas poterant; sarcinæ, arma præcipitantur, quò leuarentur aluei per latera natantes, superurgente fluctu. Tandem auctâ cæli marísque truculentiâ, naufragium fecit, submersis sociorum plurimis, ipse vix lintris paruuli beneficio seruatus, vt diu pro mortuo censeretur. Angliæ Rex peditum millia XIV. promisit. Scriptæ à Mansfeldico cohortes aliquot Leodiensi tractu, & alibi; supplementa prætereà per Germaniam collecta ad peditum millia II. Ordines autem fœderati decreuêre exercitum veterem augere ingentibus copiis, equitum peditúmque, Angliâ, Galliâ, Germaniâ euocatis.

Mauritius Rosendaliæ ægrotare incepit.

Mauritius æger in Hollandiam redit.

Vana Mauritij spes.

Mansfeldicus nothus ab Mauritio vocatus, in Angliam Galliamq; missus auxiliorum causâ.

Fœda maris tempestas Mansfeldicum vexat.

Mansfeldicus naufragium facit.

Angliæ Rex copias Mansfeldico promittit.

Ordines fœderati augere exercitum decernunt.

Spinola hisce hostium consiliis circumspectis, Archidu-

Spinola de auxilijs aduersus Mansfeldicum tempori aduocandis Isabellam monet.

cem Isabellam admonet, vti contra Mansfeldicum ab Cæsare quoque peditum equitumque præsidia paria accersat; à Bauaro autem Duce, aduersus conatus Mansfeldianos, auxilia Principum Germaniæ fœderatorum. Prouincijs insuper, ad tuendos fines, imperet peditum (quos Keurlingos seu Electitios vocant) millia xv. equitum (quos *Bandes d'Ordonnance* appellant) millia 111. quibus copijs partem Prouinciæ, partem Regis Prouinciale ærarium stipendia numerare

Stipendia copijs nouis soluendis promisa.

possent; peditibus quidem huius solo belli tempore, equitibus perpetuò deinceps, vt eorum munus esset, quoties bellum aliquod incideret, statim in bello versari, illatumque defendere, aut inferre. Archidux Isabella augustâ quadam prouidentiâ omnia circumspiciens, diurno nocturnoque consultandi scribendique labore, rerum summam velut è sublimi administrabat, regebatque molem tantam. Duabus autem rebus efficiebat facillimè, quæ nemo alius consequi potuisset, auctoritate nominis, & gratiâ. Auctoritate apud exteros, gratiâ apud suos. Auxilia igitur quæ Spinola rogabat, litteris ab Cæsare impetrauit. Ad Bauariæ Ducem Comitem Octauium Sforzam misit. Promissa ab Cæsare peditum millia 111. equitum millia 11. & quingenti. A Bauaro equites M. peditum millia 111. reliquum equitatum peditatumq; Prouinciæ pro constituto numero, in tempore summisêre. Tum Spinola (in quo obsidionis totius cardo vertebatur) vni huic rei præcipuè studere, vt tantis copijs, pro eâ quam præsentiebat belli diuturnitate, commeatus abundè tutoque supportaretur. Atque hanc in rem, cùm duabus rebus maximè opus esse intelligeret; inprimis carrorum facultate, quibus annonam subueheret; deinde perpetuo aliquo Duce, qui commeatum difficilioribus temporibus itineribúsque administraret; Henricum Bergium ducendo commeatui præfecit, retento in castris Ochoâ Gomezio Commissario, vt vocant, generali: quo hucusque ad expediendos commeatus fuerat vsus, sed nunc maximè ad excursiones

Archidux Isabella, belli molem vniuersam studio administrat.

Auctoritate nominis apud exteros, amore apud suos Isabella omnia obtinet.

Comes Octauius Sforza ad Ducem Bauariæ missus. Cæsar & Bauarus auxilia pollicentur.

Duabus in rebus Spinolæ cura, procuratione carrorum ad vehendam annonam; prudentiâ Ducis ad expediendos ducendosque commeatus. Commeatibus ducendis Comes Bergius præficitur.

circum

circum Bredam, circumque castra, cum reliquo equitatu faciendas industriâ eius indigebat. Comitem Henynium per caussam curandorum curruum, ad Brabantiæ Ordines misit, vt ijs primùm persuasis, ceteræ quoque Prouinciæ exemplo adducerentur. Henynius, singulos quibus suffragij ius erat adortus, facilè apud volentes obtinuit, vt vniuersi deinde in Comitijs consentirent; cùm æquè illi & præsentem necessitatem intelligerent, & publico consultum exoptarent. Brabantis igitur adductis, Flandri, Hannonij, Artesij, ceterique haud grauatè consensêre, vt curruum vecturæ scriberentur.

Procurandis curribus Comes Henynius ad Brabantiæ Ordines mittitur. Brabantiæ exemplo, Prouinciæ ceteræ excitata. Prouinciæ omnes consentiunt in curruum vecturas.

Lyræ publicum annonæ horreum constitutum, & huc primùm comportari commeatus; inde in castra aduehi. Comiti Bergio equitatus pars maxima attributa, quæ commeatui præsidio esset; nam castra Bredana ferè poterant ipsâ iam munitione defendi. Huius ductoris nomen etsi hostibus metuendum esset, ipse tamen re maluit quàm famâ eos ab irrumpendo deterrere. Quare hac ratione munus suum administrabat. Solemne illi erat, manè ante lucem, confusum impedimentorum agmen explicare, deinde præmissis equitum turmis aliquot emissarijs, proficisci. Tormenta primis vltimisque adiungere, ad significandum hostis aduentum, cuius indicium sonitu tanto longissimè perferretur, vt eo signo (quod conuenerat) miles scilicet colligeretur, eamque in partem accurreret, quæ laboraret. Vtrumque viæ latus contra Rosendaliam & Langhestratam (vbi hostilia castra) equitum alis diuisis tegere; equitatui præsidia leuis armaturæ interponere; reliquo equitatu denique agmen claudere; sic itineri simul & prælio incedere. Occurrere, quantum poterat ratione caueri, vt tutioribus itineribus ad fallendas insidias contenderetur; vijs ad faciliorem subuectionem instauratis. Si quod periculum nuntiaretur, ne alieno loco prælium committeret, dispicere; eamque ob rem, aut idoneo resistere, aut iniquo egredi, & carros pro vallo, si pugnandum foret,

Lyræ annonarium horreum positũ. Comitis Bergij cura diligentiaq; in commeatu cautè ducendo. Ordo ducendi commeatus. Cautio Henrici Bergij aduersus hostiles insidias.

foret, obijcere, iaculatoribus introrſum reductis. Quoties procedendum erat,ſtatiuis ante omnes progredi,tum,donec vltimi ferè tranſijſſent, ad ſpectandum accelerandumq; reſiſtere; poſt omnes iter agere, & primis deinde inter procedendum præcurrere; poſt omnes denuò ſtatiuis inuehi. Hoſpitia militi ante veſperam partiri; tum ſtatiua, lucente adhuc die, circumuehi. Agreſtes aduocare; de hoſte, de itineribus cognoſcere; cuſtodias, vbi vſus erat, diſponere, pontes occupare aut abrumpere, vt hoſti viam auferret. Milites frenatis equis, in ſtationibus, ſi opus eſſet, expeditos collocare: alios in omnem partem dimittere ad excipiendos aliquos,ex quibus de hoſtium inſidijs cognoſceret. Certos prætereà habere ſpeculatores, qui conſilia molitioneſque omnes indicarent,in quos plurimum nummorum effundebat. Noctu aditus omnes excubitoribus tenere. Ne autem aſſiduitas conſuetudine minueretur (quod diuturnitate accidere conſueuit) ipſe ſæpiùs ſtationes improuisò obequitàre,non tam diffidentiâ circitorum, quàm vti militibus exæquatus cum ductore volentibus labor eſſet. Iam agreſtium rebus non minùs quàm commeatui conſulebat. Milites ipſe, tamquam incendiorum præfectus, de igne (quem in horreis accenderant) extinguendo admonere. Indiligentiores, quorum incuriâ incendium malè obrutum reſurrexerat, domoſq; corripuerat, ſub dio deinceps excubare facere, ære diruere, ſarciendique damni condemnare. Monere Aureliani more, de prædâ hoſtis, non de lacrymis Prouincialium viuerent. Agreſtibus aduerſus militarem licentiam iudices ferre, querimonias audire, compertos caſtigare. Quâ diſciplinâ obtinuit, vt coloni (à quibus maxima per pagos erat ſolitudo) è templis turribuſque,in quæ vxores,liberos, rem familiarem, frumenta depoſuerant, ea venum darent, quæ metu clauſa compreſſaque tenebant,& agri cultoribus inanes ſine maleficio exercerentur. Tantâ cum quiete exercitum per Brabantiæ pagos, cum ſingulari curâ frugum, agrorum, domorum,

Præſentia Ducis militem officij admonet.

Artes impediendi hoſtiles dolos.

Speculatorum vſus.

Comitis Bergij vigilantia nocturna.

Diſciplina vt à Comite Bergio ſeruata.

Pœna in incautos & indiligentes.

Seruatæ diſciplinæ fructus.

rum,hominum ducebat. Hoſtes verò tam accuratæ diſciplinæ opinione, ne ad carpendum quidem agmen ſe vſpiam oſtentarunt, planè vt quo honore Alexandrum Seuerum,ob modeſtiam, dum in Parthos duceret, habuêre Prouinciales, eo nomine Bergium Croatij appellarint Agreſtium deum.

Bergius à Croatis vocatus Agreſtium deus.

Hoc tanto Comitis Bergij ſtudio etſi feliciter quidem res omnis frumentaria expediretur, quoniam tamen ob equorum numerum in caſtris pabuli copia paulatim minuebatur, equique ipſi ob laboris diuturnitatem macie corrumpebantur, cùm plerique conciſo ſtramine paleaque veſcerentur (quibus pabulum adaugere inopia ſubigebat) Spinola ad hunc modum vtrique incommodo prouidit. Ne reliquum pabuli equos in caſtris deficeret, equitatum qui commeantes ſtipabat,in hiberna ad viciniores vrbes municipiaque dimiſit; vbi ſe per interualla reficeret, dum annona carrique Lyræ appararentur. Atque vt ne eo quidem tempore, quo commeatum ad caſtra equi ſupportaſſent, caſtrenſe pabulum exhauriretur, caſtrorum illis ingreſſu interdixit, carris etiam iumentiſq; ſarcinarijs (quàm ſtatim exinanita erant) ab caſtris dimiſſis. Hinc equi, cùm alibi copioſiore pabulatione vterentur, per tantillum quietis à macie defatigationeque recreabantur. Id vti tutiùs Spinola efficeret, munitionem omnino magnam Barlenſi in pago, trium à caſtris horarum ſpatio, ſubſtruxit, præſidiumque impoſuit; adiunctâ equeſtri cohorte vnâ. Ad hoc vſque loci commeatum cum equite ſuo Comes Bergius deinde ſubuehebat. Hîc reſiſtebat, dum carri deonerati ex caſtris redirent. Huc vſque è caſtris cohortes equeſtres pediteſque alij occurrebant excipiebantque.

Spinola pabulo equiſque recreandis ſtudet.

Pabulo caſtrenſi conſulit Spinola, interdicendo equis omnibus caſtrorum ingreſſu.

Equi commeantes per interualla in ſtatiua miſſi.

Itinera commeatui ducendo Spinola munit.

In omnem prætereà caſum quò tutiora itinera eſſent, Leurenſi in pago contra Roſendaliam, munitio ab Iſenburgico Comite facta, eo ferè loco, quo flumen interlabens tranſiri pontibus aut vado poſſet. Aliæ inſuper tres ab Henrico Bergio Lyram inter,Herentaliam & Turnhoutum,qua-

Opera & munitiones ad tuendos commeatus varijs locis facta.

tuor item Outturnhouti, intra quas qui commeabat miles, quietem noctu capiebat. Quod iter etsi longius multò esset altero quo per Hooghstratam directò itur, tamen quia ab hostium castris, maioribus aberat spatijs, tutius certiusque iudicatum fuit, maximè cùm arcibus hisce duabus Hooghstratanæ & Turnhoutanæ præsidia quoque mediocria essent relicta. Erant hac cautelâ ita tutæ viæ, vt agrestes, Turnhouto præcipuè, nullo ferè præsidio comitati, in castra securi annonam carris supportarent; quam commeandi licentiam cùm hostes cognouissent, eos semel latrocinio adorti, carros aliquot, abactis equis vectoribusque, haud procul Barlensi pago spoliarunt.

Longius at certius iter institutum ad commeandum.

Agrestes nimiâ fiduciâ vsi, ab hoste spoliantur.

Mauritius res nouas in morbo meditatus, nondum depositâ intercipiendæ Antuerpiensis arcis spe, nocturnâ denuò expeditione susceptâ, ad eam aggredi iterùm designauit. Stakenbrouckio Grauiæ Præfecto gerendam rem permittere placuit; sed nihilo feliciùs priore consilio conatus successit. Nam tantus perpetuò cecidit imber, vt & fistularum omnis interierit vsus, ob pulueris nitrei madorem: & cùm nocturnos ignes in vrbis mœnibus eminùs hostis aspexisset, ratus se proditum, tantâ subitò perturbatione retrocessit, vt relictis per auia impedimentis, fugæ similem fecerit profectionem. Credita intra muros fuisse coniuratio ciuium aliquot perditorum, qui nouarum rerum studio hostem inuitassent. Triginta, quos loquendi petulantia suspectos fecerat, solum vertere iussi; sed mox veniâ donati, nonnulli manere permissi.

Altera Mauritij molitio in arcē Antuerpiensem.

Suspicio proditionis in Antuerpiensi vrbe.

Pœna in suspectos proditionis, & venia.

Mauritius quoque cùm nihilo amplius se posse in commeatus nostros videret, castris licet bipartitò ad insidias diuisis; ad vexandos eos, qui commeatus adiuuisse ferebantur, omnis eius cura conuersa est. Capti qui eius rei fuerant comperti, magnoque ære multati; neque ijs parcitum, qui Ordinibus fœderatis erant vectigales, ceteris grauitate pœnæ perculsis. Insuper molæ frumentariæ omnes, quoquo versus, sublatis subscudibus ferreis mutilatæ. Officinæ ceruisiariæ pana-

Mauritij nouum consilium ad prohibendam castris nostris annonam.

Molæ, pistrina, lebetes ceruisiarij, corrupta ab hoste ad incommodandum Spinolæ castris.

panariæq́ue,pertusis lebetibus ac furnis,corruptæ. Agitatum quoque inter eos accepimus, esset ne ex vsu, Campiniæ loca paruis aut nullis præsidijs custodita, (quæ commeatus nostros adhuc sustinebant) populari vastaque fieri. Quidam incendi oportuisse hoc spatio quaqua versus censebant, quà nostri adire posse commeatus causâ videbantur,ne proposita nobis essent ad copiam cibariorum. Alij veriti ne vicissim incustoditis eorum municipijs pagisq́ue ignem passim inferremus,eam sententiam improbarunt.

De Campiniæ incendio dubitatum.

Incendiorum molitio metu talionis repressa.

Diuersa igitur (vt solet rebus perditis) capessunt, Turnhouto, Hooghstratâ, vicinisq́ue pagis, quosdam qui castra nostra annonâ pabulóve adiuuerant, captos abduxêre. Spinola talione vsus, quoscumque intellexit hosti pabulum cibariáve subuexisse, inuicem capi, multariq́ue passim iussit. Horum multi conquestum cum eo per Legatos miserunt, quasi innocentiam suam probaturi. Ipse eis respondit: Iam sic præsentis belli rationem diuisam esse,vt cùm hostes quocumque modo annonæ subuectionem impedirent, ipse eam vicissim prohibere niteretur: & si hoc sibi remitti vellent,remitterent ipsi de nostris intercipiendis; sin id tenerent, se quoque illud retenturum.

Capti qui annonam Spinolæ iuuerant.

Talione in hostem à Spinola actum.

Responsum à Spinolâ deprecatoribus datum.

His exemplis pœnisq́ue deterriti agrestes ac mercatores, cùm nihil ferè nisi clanculùm apportare in castra nostra auderent, magna per dies aliquot exstitit panis, vini, ceruisiæ, aliarumq́ue mercium caritas, quam Spinola statuendis minoribus mercium pretijs subleuare verebatur, metuens, quantum eâ re militi commodasset, ampliùs etiam infrequentiâ propolarum frumentariorumq́ue (qui compendio & pretiorum magnitudine alliciuntur) nociturum fuisse. Has ob res per eos dies,militum nonnulli (qui decorum post famem ducebant) cadauerum equinorum frusta (miserandum alimentum) in cibos partiebantur. Atque hac nostrorum inediâ, & obsessorum mitior fames, & maior Mauritiani exercitus luxuria (quæ fluminum vrbiumq́ue vicinita-

Mercium caritas ex pœna terrore.

Remedij difficultas ob metum maioris mali.

Equina cadauera in Spinolæ castris eduntur.

Minor obsessorum atque obsidentium fames, maiorq́; luxuria castrorum Mauritianorum.

 te

te ſuſtentabatur) expugnanda nobis fuit. Vrbi quippe id temporis ſuppetebat annonæ abundè, pretio non magno; quod certum iuſtumque mercibus ſingulis Senatus decreuerat, neque maius eo quo fuerant ante obſidionem æſtimatæ, ne obſeſſos ſe ciues militeſque ſentirent. Tritici menſura vendita florenis octo, ſiliginis quinque, panici quatuor, hordei tribus & dimidio, auenæ totidem. Saccus ſalis æſtimatus florenis quatuor: aſelli ſiccati & caſei libra, treſſe; caſei viridis pondo, beſſe; olei cantharus, floreno & beſſe; olei è raporum ſeminibus preſſi cantharus, aſſibus octo; bubulæ libra, treſſe. Atque hac cibariorum vilitate mirum quantum obſeſſorum patientia fuerit ſuſtentata. In caſtra verò hoſtium, frumentum, vinum, pabulum ex omnibus portubus minimo comportabatur, quò adire noſtris omnino non licebat. Spinola vt ſuorum egeſtati remedium adferret, præter conſuetam Regij panis largitionem, ceruiſiam etiam ex publico dimenſam, militibus viritim quotidie diſtribuere inſtituit: quæ res vehementer eorum animos deuinxit, ſaluti que profuit. Archidux Iſabella aduerſus hiemis pluuias ventoſque, vigilibus (quibus ſub dio excubandum erat) togas villoſas ſexcentas, reliquis caligas, calceoſque ad millia ferè octona erogari fecit. Bredani, qui volentia de rebus noſtris lubenter accipiebant (cùm inflatiùs ſcilicet ad eos damna noſtra ſubinde nuntijs perferrentur) credebant, nihil annonæ quadraginta dierum ſpatio in caſtra noſtra perueniſſe: exercitus parte maximâ dilapsâ, multò minorem partem ſupereſſe, nec iam vires ſufficere cuiuſquam, neque ferre operum laborem poſſe: reliquos aut per inopiam, aut morbos, obſidionem deſerturos. Pleniora hæc atque vberiora Hollandi ſcribebant. Nonnemo latiùs etiam atque inflatiùs, vulgato Mercurio, publicauit. Obſeſſi igitur inopiam nobis exprobrantes, bubus ſubinde in ſuburbana prata eductis, annonæ facultates ſcilicet foris oſtentabant; domi tamen, cùm frumentum, ratione initâ, mediocriter

Senatus Bredani prudentia in pretijs mercium æſtimandis.

Leuia mercium pretia in caſtris hoſtilibus ob vicinos portus.

Spinola in militem noua largitio.

Iſabella Archiducis liberalitas in milites bello tolerando per hiemem vtilis.

Vana Bredanorum credulitas.

Falſi ſparſi rumores.

Obſeſſorum oſtentatio.


criter haberent, Senatus (ne celeriùs consumerent quo diutiùs sibi viuendum sciebant) decreuit, ne quisquam ceruisiam coqueret, quæ supra scuti pretium in vasa singula veniret. Ablatæ quoque clibanorum omnium vitreæ plumbeæque galeæ, vini adusti factoribus, ne frumentum causticis officinis in vinum verteretur, atque ita paulò etiam longiùs tolerauêre parcendo. Sed ostentatio digna castigatione visa est. Spinola cùm videret, eos laxiùs (vbi quædam manu sata erant) circum muros vagari, ad legendum si quid herbarum radicúmve reperissent, ne inultis ager carperetur, aut tabellionibus vallus pateret, quâ parte (ob circuitus magnitudinem) custodiæ incautiùs dispositæ cernebantur, turres minores aliquot, maioresque munitiones, & aggeres ternos ad imponenda tormenta, tribus simul partibus proximè vrbem iaci fecit. Earum turrium munitionumque latera, quà vrbem respiciebant, ad resistendum pilis tormentorum, crassum murum habebant pedes XXV. Aggeribus hæc forma erat. Maior in pago Ginekensi, quem Marchio Campolattarius tuebatur, longus pedes CLX. latus CXXV. muris cinctus à tergo & lateribus crassitudine pedum XV. sed latus vnum densius, ambulatione & loricâ supernè erat instructum. Anguli punctim extantes frontem vtrimque finiebant. Fenestræ in struendo relictæ IX. versus vrbem, ad mittenda totidem tormenta, amplitudine singulæ pedum II. & medij, non directæ eæ, sed extrorsum labris latè hiantibus diductæ. Internè substructio erat thori instar, è cespite sarmentisque aggesta in pedes VIII. lata XXXV. tabulis constrata ad expediendum mouendumque celeriter tormenta. Post eam substructionem planities longa pedes CXXX. latitudine pedum L. Externè sub fenestris valli acuti eminebant: pro fronte receptaculum iaculatorum loricâ & sepe cinctum, ad aggeris tutelam. Inde fossa latitudine pedum XLVIII. depressa in altitudinem pedum VII. labris à summo decliuibus ad imum vsque solum, quod patebat pedes XXXVIII.


Senatus Bredani parcimonia.


Spinola obsessorum ostentationem arctiore circumuallatione reprimit.

Qualia opera proximè vrbem à Spinolâ facta.

Aggerum forma.


Agger Tribuni Wyngardij.


Agger Baronis Balancony


Agger Comitis Isenburgici.

Exteriori ripę in longum pręfixa ſeps ſudium dolabratarum, ad tardandas irruptiones. Alij aggeres duo Teteringæ & Hagæ, hic mediocris, ille trium minimus, ſed caſtelli adiunctione maximus, ad eumdem ferè modum ſubſtructi, ſolâ longitudine latitudineq́ue atque angulis diuerſi, à Barone Balanconio & Iſenburgico Comite ſeruabantur. Dum hæc adminiſtrantur, obſeſſi ſubinde eruptiones diuerſis portis facere, & tormentorum globos in operas præſidiarioſq́ue densè permittere, ſed exiguo operæ fructu. Operibus perfectis, cùm rem in anguſto fore viderent, nonnulli ſe militum, opificum ruſticanorumq́ue, famis metu, dedere cœperunt: quippe præſentibus incommodis defeſſi, graui peſtilentiâ, & diutinâ concluſione, & mutatione victus afflictati, & re frumentariâ anguſtè vtebantur, & iam carnis, piſcis, caſei exiguum ſupereſſe intelligebant. Oleum ſeminibus raporum expreſſum pani illitum, in obſonium vulgò adhibebatur. Lautiſſimæ militibus apud carnificem epulæ pręb ebantur, parabili pretio; beſſis ſcilicet cum ſemiſſe. Is namque decreto ſtipendio florenorum x. in menſes ſingulos, canes omnes vitandæ peſti necare iuſſus, his ferculis menſam inſtruebat, nec paucos quotidie milites habebat conuiuas, qui tantillâ ſymbolâ tam ſplendidè prandere vellent. Sed hæc vita cùm pleriſque per ſe grauis duraq́ue videretur, tum longè moleſtiſſima diuturnitatis metu reddebatur; quare fugâ conditionem mutare nitebantur. At Spinola buccinatore ad vrbis Præfectum cum mandatis miſſo, monuit; ne quis poſt id temporis aut per cauſam deditionis, aut fugæ, abs ſe veniam ſperaret; agendos in vrbem, aut furcam, quotquot deinceps ab vrbe veniſſent. Simul loca omnia, quibus tranſiri clàm poterat, cuſtodijs iuſſit obſeruari, propoſito xxv. Philippeorum præmio, qui mœnibus egreſſos excepiſſent. Omnes in præſens perterriti, ſed tempore, vt ſolet, pauci fidentiores effecti, clementiæ ſe Spinolæ commiſêre, qui flentes omnibus precibus extra munimenta orabant, vt ſe receptos noſtri cibo iuua-

Aggeres alij duo.

Nonnulli obſeſſorum ſeſe dedunt.

Epulæ Bredæ apud carnificem præbitæ.

Plurium obſeſſorum ex vrbe fuga.

Prohibitio Spinolæ.

Vigiles trāſfugis intercipiendis appoſiti.

Deditiorum preces ve in vrbem relegentur.

iuuarent, aut priùs interficerent, quàm in vrbem relegarent. Spinola vxorem Antuerpienſis cuiuſdam opificis, ſuâ nuper poteſtate ex vrbe egreſſi, cum infantulo recepit; ceteris redire iuſſis. Sed poſteà liberaliùs ſuæ legi indulſit, nullo perfugarum in oppidum repulſo, cùm raro ſatis paucíque elaberentur. In agreſtes duos, qui noctis ſilentio annonam perferre conabantur, furcæ ſupplicio animaduertit, ſub vrbis ipſius aſpectum. Id vſu ſalubre, & miſericordiâ melius apparuit, ceteris in poſterum perterrefactis. Mauritius maiore numero cibaria obſeſſis ſupportare meditatus, cùm frumenti reliquæque annonæ vim magnam appuliſſet ad vicinarum vrbium portus, apparat onerarias octodecim omnino magnas, carinis planis, quibus deceſſum æſtus excipere poſſent; quæ ab æſtu derelictæ, nihil arenas timent, tutæque vadis ipſis inſidunt. His latera & proras vtrimque erecta atque edita facit ex denſo robore, ad vim omnem atq; contumeliam perferendam. Singulas ad hunc modum fabricatas armat baliſtis æneis ferreiſque quaternis aut ſenis; inſtruit pilis incendiarijs multis; onerat deinde frumento vaſis incluſo, ingenti vi caſei, laridi, ac porcinæ. Ad hæc, omnes lectiſſimis iaculatoribus completæ. Bredanos eodem tempore monet, vti actuariis aliquot in eam rem armatis, ex oppido ad certum diem erumpant, eaſque concitent in pontem noſtrum. Bredani dicto audientes, adornant pontones XIV. quorum ſex, tormentis totidem armant, inſtruunt pilis ad incendia præparatis; deſignant imponendos nauigijs milites CCC. apparant ſexcentos qui terrâ propter flumẽ erumpant. Eo cognito, Spinola, Heydenſi vico præſidijs maioribus firmato, aggerem abs ſe iactum (quà tranſeundum hoſti fuiſſet) præfixâ ex arboribus ſepe ingenti, communit. Alterum prætereà ſudetum ſudibus maioribus inter ſe vinctis ducere inſtituit, longitudine paſſuum bis mille quadringentorum, inter quaternas munitiunculas, quas Nigro (vt vocant) aggeri ſuperſtruxerat; ne eo ſtagno, quod ad vrbem hieme totâ pertinebat,

Marchionis Spinolæ in deditities clementia.

Pœna in eos qui vrbi annonam inferebant.

Mauritij molitio ad annonam ſupportandam.

Nouum onerariarum genus.

Arma & annona onerarijs impoſita.

Bredani Mauritium iuuare ſtudent.

Spinola prouidet ne annona obſeſſis ſupportetur. Aggeres duos ſepibus munit.

bat, annonam hostes traijcere possent. Ea enim pratorum illorum natura erat, vt quoties se vis maris æstu concitauisset (quod bis semper accidit XII. horarum spatio) stagnantibus simul campestribus aquis, aditum in vrbem lintribus planis facilè præberent, pedibus etiam, vado, post decessum æstus, facto. Sed ecce venti, qui primùm Mauritio secundi erant, incredibili felicitate nostrâ, in contrarium versi. Æstus quoque præter morem vix aquas concitauit. Ita hostile consilium, Spinolæ diligentiâ, vis iterùm diuina diremit. Eo temporis interuallo, quo naues annonâ militeque onustæ tempestatem operiebantur, casceorum, suillæque carnis numerus adeò militum direptione fuit deminutus, vt exiguum eius annonæ fuerit ad obsessos peruenturum, etsi fortunâ naues penetrassent. Paucis verò pòst diebus frumentum, quod in vasa compactum fuerat, pluuiâ nauticoque humore madidum, per ipsas vasorum rimas effrondescere cœpit postquam è nauibus expositum fuit. Ita damnis adiecta damna hostes perpetuò fecêre.

Numen Mauritianis conatibus aduersum.

Annona hostilis aut direpta aut corrupta.

Subinde, cùm nostri è castris longiùs lignatum pabulatumque mitterentur (viciniore pabulo lignoque consumptis) credebant hostes, militem nostrum in pabulando & lignando dispersum, equitatu suo facilè deleri posse. Obseruare ergo diligentiùs pabulationes lignationesque. Omnibus modis studere huic rei, vt vtroque nostri prohiberentur: facile id videri, quòd maiore equitatu valerent ipsi; quando eques noster partem tuendis castris, partem ducendo commeatu, totus ferè distineretur. Neque interesse, an interficerent, an impedimentis exuerent; quibus amissis obsidio sustentari non posset. Hinc accidebat quotidianis pabulationibus (id quod erat necesse) cùm raris disiectisque ex ædificijs pabulum conquireretur, vt impeditis locis dispersos pabulatores subinde pauci circumuenirent: quæ res etsi non magnum, aliquod tamen calonum, iumentorum, vectorumque detrimentum nobis adferebat. Spinola, ne tantillæ glo-riolæ

Longinqua nostra pabulationes periculo obiecta.

Pabulatio lignatioq́; ab hoste impediri cœpta.

Damna accepta, sed exigua.

Spinola cautio ad tuēdos pabulatores.

riolæ lætationem diu hosti relinqueret, deinceps quoties pabulandum erat, earum copiarum reditum operiebatur, quas commeatus causâ Comes Bergius ad tertium à castris lapidem reducebat; quarum præsidio tutos pabulatores ab castris in vicina rura quaquauersum dimittebat. Ita prætereà commeatus suos instituebat, vt quo tempore currus Lyræ frumento onerabantur, partito equitum peditumque numero, carri auenâ onusti, pabulum celeriter in castra supportarent; quibus deinde exinanitis, ad reliquum commeatum stipandum primo quoque tempore milites Lyram reuertebantur. Intereà equi alij, qui labore macieque propè inutiles ad gerendam rem erant effecti, in locupletiores ad pabulandum locos in hiberna mittebantur, dum alij redirent, quibus sua tum quoque statiua ad quietem designabantur. Ita duplicatis itineribus, equis recentibus beneque pastis, pabulum frumentumque breuissimo tempore expediebat; cui officio præpositus fuit Alexander Hesius, tormentariæ rei Pro-præfectus, qui celeritatem in onerandis transportandisque curribus labore perpetuo adhibebat.

Equi à macie per quietem recreati.

Alexander Hesius commeatui accelerando præfectus.

At postquam Prouinciæ (quibus volentibus frumenti pabulique vectura fuerat imperata) iam duci obsidionem, & nouas semper rogationes prioribus subiungi sentirent, tot curruum continenter submissorum impendijs fatigatæ, inposterum oneribus tantis impares futuræ videbantur; noua iuuandæ annonæ ratio excogitata est. Conducti pagis omnibus carri duarum rotarum, quos propter ampliores orbes, vnus plerumque, duo cùm plurimùm, equi vehunt, maiore etiam celeritate, quàm terni illos, qui quaternis rotis, sed minoribus, voluuntur. Pretium in singulos pactum, quod initio grauius, ob itinerum difficultates, melioribus deinde temporibus, dimidio fuit imminutum. Ita minori longè equorum curruumque impendio, parciore pabulo, pari celeritate, æquali numero, leuiore pretio, res frumentaria fuit administrata.

Prouinciarum sensus ob ingentes vecturas.

Nouum vecturæ genus inuentum.

Vtilitas noui inuenti ad annonæ subuectionem.

Fefel-

Fefellerat hæc noua industria Mauritium, qui anni tempore confisus, crediderat, tam duris longisque subuectionibus, nos numquam tantas rei frumentariæ difficultates fuisse superaturos, præcipuè quòd propinqua iam hiems subesset, & pagis omnibus exinanitis, conuectum in vrbes esset frumentum, pecoraque propter bellum longiùs remota. Dixisse glorians apud suos fertur, quod olim de Cæsare ad Dyrrachium Pompeius: *Non recusare se, quin nullius vsus Imperator existimaretur, si sine dedecore exercitus Spinola discessisset*; adeoq; libenter se eam illi gloriam concessurum (postquam hieme totâ obsidionem Spinola sustentasset) eum plus se, plus etiam dæmonibus ipsis scire, posseque. Et profectò, nisi diuina magis quàm humana præsidia res nostras perpetuò adiuuisset, hiemisque tempus (quod asperum esse consueuit) mitissimum fuisset, numquam tantæ expeditionis difficultates vel summâ constantiâ superassemus. Certè aquarum copia, quas castris nostris oppidani per Nouembrem supermisêre, cùm clausis fluminum ostijs, ad effundendum latè Aa & Merkam, aggerem iacere cœperunt, sollicitudinis metusque satis nobis attulêre. Sed neq; existimabat Spinola, aut id bellum adeò duci potuisse, aut tantâ mole curruum, tantisque vecturarum impendijs fore opus. Quod onus si Prouinciæ iam inde à principio, vniuersum simul ob oculos positum vidissent, fortè numquam id tantâ voluntate consensioneque suscepissent, quantâ fide ad extremam vsque obsidionem, soluendis quadringentorum curruum vecturis, & peditum simul prouincialium stipendijs numerandis, sustinuerunt. Quo certè nomine fidissimas se Regi suo probarunt, æternamque laudem consecutæ sunt. Præterea quis prouidere poterat, tantos Europâ totâ motus, vnius Bredæ causâ, excitatum iri? Credebatur vulgò, frumentum cibariaque in hiemem abundè non fuisse prouisa tot capitum millibus, quot in vrbe tenebantur obsessa. Ciues copiâ assuefactos, belli famisque insolitos, inopiam non laturos. Gallos,

Mauritius opinione falsus.

Mauritij de Spinolâ dictum.

Deo victoriam acceptam referendam, vel vno certissimo argumento ostensum.

Spinola opinione falsus.

Prouinciæ quàm Regi suo fidæ.

Res quæ non potuere hoc bello prouideri.

Scotos, Anglos, Belgas, (quorum plurimi præſidio diſpoſiti) nec expectaturos dum res frumentaria deficere incepiſſet. Alios naturâ, alios conſuetudine appetentiores eſſe deliciarum. quare veneramus in ſpem futuræ breuî deditionis. Adeò facile eſt bellum pro libidine ſumere, ponere autem, arbitrij alieni. Sed præter ea frumenta, quæ ciuibus viritim fuerant imperata, quæque militi in horreo publico condita ſeruabantur, maximum etiam numerum agreſtes (eo tempore quo Gilſæ nos conſederamus, neque impedire ſimul aditus omnes erat conſultum) in vrbem inuexerunt, belli metu. Præterea Tribuni Centurioneſque omnes ob inſignem quæſtum, quem addictis vindicatiſque mortuorum ſtipendijs faciebant, aſperitates omnes conſtantiſſimè perferre animum obfirmarant; eò etiam diutiùs, quò militum plures incommodis morbiſque necarentur; quòd ſcilicet eo damno ipſis indies creſcerent lucra, & famem ſuam mortuorum ſtipendijs haud grauatè ſuſtentarent, ex inediâ mortem, ex morte compendia captantes. Tantò ſecurius aurum eſt fide. Morientium autem toto obſidionis tempore fuit numerus tantus, vt ſupra quinque mortuorum millia venerint in rationes Libitinæ, quæ tertia pars fuit capitum (quot Bredæ erant) vniuerſorum, cùm cenſa initio eſſent ad millia quindecim. Ita mortuorum parſimonia, viuis fuit annona. Id quod ne nos ciueſque ipſi indicio animaduerteremus, Senatuſconſulto iam inde à principio cautum erat, ne vlli deinceps, quantumuis locupleti aut nobili, campanarum parentali ſonitu exequiæ ducerentur. Hæc res non noſtram modò, verùm etiam ipſam obſeſſæ plebis opinionem vulgò fallebant (Duces alioqui, qui factione plus pollebant, fidem lucro habebant quodammodò oppigneratam) & perfugarum ex vrbe plurimi renuntiabant, niſi ſubſidium citò mitteretur, diutiùs ſuſtinere non poſſe: quod idem ex ipsâ Hollandiâ Comiti Henrico Bergio erat perſcriptum. Germanus quoque miles, ſtipendijs nouem inter Hollandos functus, à noſtris

Quâ re obſeſſi diutiùs obſidionem tolerarint.

Mortuorum ſtipendijs atque annonâ viui diutiùs ſuſtentantur.

Quot per obſidionem mortui intra vrbem.

Cautio obſeſſorum, ne mortuorum numerus noſceretur.

ſtris captus, & ab Iſenburgico Comite pro ciue ſuo agnitus, cùm capitis abſolutus, eâ conditione Bredam ab eo fuiſſet remiſſus, vt quando iam in anguſto res eſſent, rediret ad caſtra noſtra, vitę præmijque ſecurus; poſt bimeſtre quàm Bredæ fuerat, inter milites ſine ſuſpicione verſatus, redux nuntiabat, milites inediâ ſubactos iam equinâ vitam tolerare cœpiſſe, neque in menſes duos habere frumentum. Optare ipſos vt vrbem Spinola crebriùs tormentis verberaret, vel in ſpeciem ſaltem, vt honeſtiore obtentu ſeſe dedere poſſent. Horum affirmatione læti arrectique ij, qui quæ volunt optantque pro exploratis habent, cùm neque Bergium Comitem deluſum, neque Germanum militem rem tantam eſſe mentitum, neque perfugas omnes falſos fuiſſe exiſtimarent, Spinolam obteſtantur, vt vrbem pilis ferreis pulſari ſinat. Is etiamſi ſatis intelligeret, nihil admodum ijs machinis obtineri ſolere inter milites bello aſſuefactos, ciues autem ipſo vſu metum dediſcere, eorum tamen precibus conceſſit, vt ternis è partibus (quà aggeres totidem vrbi imminebant) vrbis muri ædificiaque quaterentur. Commodùm id temporis in caſtra redierat Philippus Comes Mansfeldicus, Tribunus nuper Cuſtodiæ militaris Guſtaui Adolphi Regis Suedorum, Rigâ expugnatâ clarus, quò ipſe copias ſummo cum imperio duxerat. Is adhibitâ ad artem ſolertiâ (vt eſt rerum omnium magiſter vſus) cùm adinueniſſet, magno vſui ad bellum eſſe poſſe nouum quoddam tormentorum genus, quæ maiorem haberent vſum mobilitatis, longiúſque globos permitterent, minore pulueris numero; per cauſam eius rei adminiſtrandæ ex caſtris Bruxellam profectus, conflari fecerat quadragena tormenta ænea, mortaria item vicena terna, ad iaciendas pilas ferueſactas. Triginta ex ijs tormentis minuſcula, librarum non ampliùs CLXXX. ſingula globos admittebant pondo VI. decem maiora, librarum ſingula DCCL. capiebant pilas pondo XXV. Horum vſus, etſi pretio pluſquam dimidiato minore, maior erat atque conſueto-

Comitis Iſenburgici ſtratagema.

Inanis quorumdam ſpes.

Preces ſpe vanâ mixa.

Comes Philippus Mansfeldicus nouum tormentorum genus vſumq́; ſuggerit.

 ſueto-

ſuetorum. Minuſcula quippe equis duobus, maiora non ampliùs quaternis celerrimè vehebantur, cùm vetera ſingula indigerent ſenis denis, aut denis octonis. Sphæras ferreas, adhibita tantùm tertiâ pulueris parte, iaciebant longiùs quàm antiqua. Id compendium Mansfeldicus arte faciebat; nam liquefactum metallum ita igne excoquere nouerat, vt minori æris craſſitudini parem duritiem atque alijs tormentis maximis præſtaret; vnde leuitas tantò maior exiſtebat. Pilæ verò etiamſi minore puluere excuſſæ, eâ tamen causâ longiùs volabant, quòd æ̃nearum fiſtularum tubi fundo non plano, ſed in cuſpidem excauato ignem extremâ fiſtulæ parte (quâ tubi centrum erat) comprehenderent, contra veterum tormentorum morem, quibus ſupernè inter pilam & planitiem fundi ignis inferebatur. Atque hinc nouorum vis maior, cùm ab extremo centro conceptus ignis in orbem ſimul æquabili flamma perferatur, quæ cauo cuſpidis collecta, tantò vehementiùs celeriúſque pilas expellit.

Pulchra ars faciendi æneas machinas.

Alterum quoque eiuſdem Comitis inuentum admirationi fuit: ferreas pilas puluere nitreo fartas, pondo ampliùs C. ſeptingentis paſſibus longiùs atque alius quiſpiam mortario æneo iaculari. Has è longinquo in vrbis mediæ ſinum adijciebat, cùm alioqui omnis mortariorum vſus ſpatio longinquitatis interiſſet, quòd aggeres noſtri ſexcentis minimùm ab vrbe paſſibus abeſſent. Intellectum à perfugis, non minus damni quàm terroris obſeſſis eo pilarum iactu illatum. Ipſi vidimus, iam vrbe potiti, ingentes domorum euerſarum ruinas. Vna armamentarij (quo puluis ſeruabatur) tecto deuoluta, cùm ignem non comprehendiſſet, innoxia cecidit; magnam alioqui vrbi ſtragem allatura. Verùm aliæ tormentorum ſphæræ, quibus triplici parte (atque eâ præcipuè quam Iſenburgicus Comes obtinebat) vrbem verberabamus, tantum fecêre timoris, vt & domus pleræque vacuæ desererentur, & concio in templum quothebdomadis abſque æris campani ſonitu alienaque horâ acciretur, & miles tandem ſilen-

Alterum Philippi Mansfeldici Comitis inuentum.

Terror ingens, damnaq; magna vrbi illata Mansfeldianis pilis.

Iſenburgicus crebrò iaculando ciues ad deſerenda domicilia cogit.

silentibus etiam tympanis in stationem ire iuberetur. Aertsenij Prætoris vxor, vt trepidos ciuium animos erigeret, subinde cùm globi densissimè volarent, carpento per muros vecta, femineo in corpore virilem animum professa, audaciam docebat esse pro muro. Cùm eo loci res hostium essent, inuicem sibi succensuisse rei malè administratæ, Ordines fœderati & Mauritius, vulgi sermonibus ferebantur. Ordines quidem, quòd tantum temporis Spinolæ ad communienda castra (adhærescendo ad demoliendos Cliuorum muros) reliquisset; quod re nullâ gestâ (post dies XXII. per otium consumptos) Medensibus castris discessisset. Mauritius contrà Ordines recriminari, imperiumque detractare inposterum, apud quos simul omnium ferè sententijs, simul vsui seruiendum esset. Ipsis remittere, si sibi magis honorem tribuisse, quàm abs se salutem accepisse viderentur. Eâ voce turbati Ordines, veritique ne imperium abijceret, conclamant eum summum esse Ducem, neque de eius fide prudentiaque ambigere; sed ea tantùm in medium attulisse, quæ videbantur potuisse prodesse; pergeret Rempublicam armis tegere, bellum arbitrio suo administrare, ostensuros se, quàm sibi cordi Breda esset: nullis vectigalibus parcituros, vel eo solo nomine, quòd Nassauiorum patrimonium esset. His ille promissis excusationeq; placatus, ne studium suum à Republicâ desiderari pateretur, ære suo priuato equites mille scribi armarique iussit. Ordines ipsi item alios prætereà mille, ad augendas copias quæ è Galliâ expectabantur. Consilium insuper capiunt iaciendæ molis, quâ Merkam flumen haud procul Seuenbergâ intercludant. Vna scilicet hæc reliqua eis videbatur Bredæ liberandæ ratio, si quoties ex alto sese æstus concitauisset, exæstuante in subiacentes campos freto, aquisque hibernis (quæ per riuos flumini affluunt) retentis, omnē latè humum inundassent: idoneum id stagnum fore, aut commeatui nauigijs in vrbem inuehendo, aut obruendis castris nostris. Rem igitur operæ maximæ sumptuum-

Ordinum cum Mauritio expostulatio.

Acre Mauritij re ponsum.

Ordinum placatus animus.

Ordinum noua machinatio ad Bredam liberandam.

Mole extrudere flumen, & stagnum facere meditantur.

ptuumque immanium aggrediuntur. Onerarias, lembos, ſcaphas (vt ſummam eorum habent facultatem) numero maximo ad Seuenbergam mittunt, eo loci, vbi quoddam os eſt fluminis, quod Lamſgatum appellant, & latera decliui ripâ ſunt vadoſa. His omnibus nauigijs ad molem conuehendam erat opus. Tum operis, foſſoribus, vectoribuſque quamplurimis adhibitis, ligna cædere, ceſpitem circumcidere, ſaxa, arbores, tabulas comportare, ſcaphas onerare, molem denique ab vtraque fluminis ripâ è diuerſo iacere inſtituunt; cùm ecce tridui improuiſo gelu deſiſtere coguntur.

Scaphæ innumera ad faciendam molem coguntur.

Opera facienda moli incumbunt.

Deluſa Stakenbrouckij credulitas Iſenburgici Comitis curâ.

Ipsâ autem Natalis Domini nocte (quo die primùm ad id opus faciendum ſunt aggreſſi) Stakenbrouckius cum inſigni ſuorum manu Roſendaliâ profectus, ecquid in Iſenburgici caſtra poſſet, à tergo exploratum venit. Intellexerat ab exploratoribus, foſsâ vnâ non maximâ expletâ, facilem aditum eſſe; ad eam explendam non ampliùs ſex ſeptémve ligonibus fore opus. Eo indicio lætus, octodecim ſecum cohortes equitum ducit, comportatis ligonibus non ampliùs ſeptem. Ad locum vbi venit, neque centum ligonibus rem agi poſſe cognoſcit; tranſitum tamen tentari præmiſſis nonnullis iubet. Eques noſter ſtationarius, qui haud procul excubabat, exploſâ fiſtulâ ſignificationem facit, armaque conclamat. Stakenbrouckius, indicio proditus, ſignis ſimul omnibus claſsicum canere iuſsis, quietem caſtrorum turbaſſe contentus, diſceſsit. Aditus alioqui omnes ab Iſenbürgico Comite tot ſcrobibus, tot arborum ramis cippiſque depactis erant impediti, vt vix ſingulari homini patere viderentur. Remittente gelu, opifices (etſi ſumma difficultas molis perficiendæ ob rapiditatem fluminis proponeretur) ad opus intermiſſum reuerſi, oblongas vectorias tres, ceſpite ſaxiſque onuſtas deprimunt, faſcibus terraque ſuperiectis, ſimul cœptam ab vtroque fluminis labro molem, diſpoſitis ceſpitum ordinibus, ceruiſque grandibus ad adſtringendam humum interiectis, producunt, alueum medium verſus. Seuenbergâ præter-

Iſenburgici diligentia in præcludendo caſtrorum ſuorum aditu.

præterea in ipsâ vrbe, admittendo auertendoque æstui, ostia faciunt ad alterum fluminis latus, vt postquam æstus agros complesset, eos sub aquis eâ stagni altitudine tenerent, quâ ad traijciendos pontones annonâ refertos, esset opus. Igitur æstus commutationem consecuti, apparant denuò ea, quæ sunt vsui ad armandas naues.

Spinola sollicitudo de molis cœpta progressu.

Spinolam multiplex operis eius cura exercebat. Ergo illud studebat inprimis, vt speculatorum indicio cognosceret in singula diei noctisque tempora, quidquid eo loci ageretur. Quoties verò Luna aut noua aut plena erat (qui dies, maritimos æstus maximos efficere consueuerunt) auxilia iusta Heydensibus Hagensibusque castris addebat, quâ parte scilicet irruptio metuebatur. Deinde ostia riuorum omnium (quibus campestres aquæ in Bredanum flumen circa Heydam ducebantur) aperiri, dum ęstus agros omnes inundasset; claudi, cùm recederet, iubet; ac tum cùm illi ad institutam molem (humilioribus iam per decessum aquis) aggrederentur, ipse subitò apertis ostijs, reliquam quam retinuerat aquæ vim, diluendo operi supermittebat, tardabatque omnem operarum administrationem. Submissis præterea nautis, noctu ripas Merkæ fluminis, locis plurimis interscindit, longitudine pedum v. millium: cuius rei duplex consilium erat. Primùm, vt quas illi aquas ad inflandum fluminis alueum, mole retinerent, Heydamq; versus extruderent, ipse interruptâ fluminis ripâ in vicinas camporum valles aliò deriuaret. Deinde, vt quò plus aquæ extra ripas in latissima pratorum spatia æstus detulisset, eò maiore impulsu per eius decessum in molem referretur. Id quod certò adeò euenit, vt quò angustiùs vtrimque molis latera coirent, eò altiùs arena fundo elueretur. Quæsitis denique fabrûm architectorumque omnium sententijs, qui molem tantam altioribus aquis contineri posse negabant; anteuertendum tamen Spinola omnibus consilijs duxit, ne hosti locum vllum penetrandi relinqueret. Aggeri igitur illi, quem à nauali ponte

Auxilia maiora periculosis locis disponit.

Supermissis aquis operarum laborem interpellit.

Ripas Merka perfodit.

Quo fructu perfossa ripa.

Spinola omnia tuta timet, neque architectis temerè credit.

Securiore remedio hostium conatus eludit.

Hagam versus produxerat (ne perfossus transiri scaphis posset) alteram crassiorum arborum sepem præduci imperat, superneque transuersis arboribus ad alterius modum vinciri.

Munitio aggeris.

Tum aggeri secundùm id sepium latus, loriculam imponi, altitudine pedum v. ad disponendos tegendosque libratores. Munitiones prætereà duas, quibus tormenta disponeret, hinc inde locat.

Duplex aliud in flumine vallum.

Flumen denique ipsum tertio quartoque magnarum arborum præfixarum vallo, magnis inuicem interuallis, hinc inde intercludit contra obsessos, contraque externum hostem;

Vsus valli.

vt si disijciendi operis causâ naues essent immissæ, oppositis arborum truncis earum vis minueretur, neu ponti nocerent, ratésve perrumperent, ipsę priùs ad præfixas trabes appulsæ.

Naues flumini imposita ad impediendum transitum.

Inter hanc vtramque extimam arborum sepem, ad anchoram stabant naues hostium nuper captæ, malis in proras antrorsum submissis, ad excipienda lacerandaque obuiarum nauium vela. Ijs pons instratus est, impositaque ponti lorica è tabulis saxo effartis.

Naues perforata ad fraudem.

Nonnullæ carinas habebant perforatas, sed ita occlusas, vt eductis foraminum obijcibus, haustaque ingenti aquæ vi, flumen subitò subirent, nauigationemque intercluso penitus transitu impedirent. Extimæ arborum sepi prænatabant mali duo, punctim colligati.

Oneraria praparata ad incendium.

Ante hos excubabat oneraria completa pice, resinâ & stuppâ, reliquisque rebus ad incendia præparatis; quæ, si hostis aduenisset, in aduersariorum classem immissa, magnam haud dubiè editura fuisset stragem.


Hostes laboris damna reconcinnant, & molem reparant.


His perfectis, nihilo segniùs hostes, aggeris à nobis interfecti detrimentum locis vicinioribus reconcinnarunt, geminâ munitione hinc inde ad oras fluminis factâ, ne eruptionibus administrationem operis impediremus.

Bredani collaborant moli perficienda.

Simul Bredani, vel vt in laboris partem venirent, & fluminum suorum refractâ vi, moles apud Seuenbergam faciliùs perficeretur; vel vt frustrà retentatum Decembri opus, aggeribus, quibus flumina separantur, attollendis compensarent, ad aquas castris nostris superfundendas, eos aggeres densare altiusque ducere cœperunt.




Pag. 66.
AGGER A SPINOL
Lorica, vallis lign
tormen
F
A
A
E
G



NOLA IACTVS PALVSTRI LOCO
s lignis, munitionibus, aggeribusq;
rmentarijs firmatus.
A. Agger tabulis constratus.
B. Pons Naualis inter Heydam et Hagam.
C. Brachia ponti præstructa.
D. Seps duplex palustri loco fixa.
E. Vallus quadruplex seu palisade in flumine Merka.
F. Munimenta idonea imponendis maioribus tormentis.
G. Loricula nostrorũ trans Merkam.

runt. Eâ re cognitâ, Spinola (cùm Merkam flumen solito alueo demouere non posset) fossam bis mille ducentorum pedum longitudine, propter vrbis mœnia depressit (vbi fastigiosior humus aquas retinebat) quâ stagnum omne, riuo circùm vrbis latus ducto, in Merkam auertit, ne aquæ in castra sua altiùs supermitterentur. Quæ fossa priusquam perfecta esset, aggeres à Bredanis in flumine aucti firmatique, collectarum aquarum alluuione disiecti, ostia munimentaque nonnulla mœnium summâ vrbis trepidatione labefactarunt. Simul prope Seuenbergam summa relabentis aquæ vis vectorias tres (quas onustas in flumen depresserant) fundo fluminis emersit, molemque omnem superiniectam disturbauit. Cui rei illud etiam diuinæ tutelæ successit, quòd quamdiu ea fossa tot simul operarum manibus institueretur, etiamsi ex vrbe perpetuò in nostros iacularentur, vnius solummodò militis humerus minore fuerit glande traiectus.

Marchio fossam instituit ad aquas campestres in flumen deriuandas.

Aggerum ruina vi aquarum facta.

Moles labem facit.

Opera nostra diuinitus aduersus tormenta videntur seruata.

Nondum Seuenbergani sententiâ destitêre, quantumuis difficulter confieri posse intelligebant, quod iam tertiùm quartúmve frustrà fuerant machinati. Qui conditionis iniquitatem perspiciebant, inani simulatione eos velle obsessorum spem sustentare opinabâtur. Illi nihilominùs susceptam molem vtrimque ab ripis fluminis instaurandam locant. Ei firmandæ directas ad perpendiculum arbores in flumen defigunt, glebas per manus transditas deijciunt. Interualla arborum saxis grandibus, cespitibus sarmentisque effarciunt. Ne labor intermitteretur, cespites humilioribus locis effossos (vnde aquam æstus depulerat) attollunt in metas, instar scopulorum; vt quos ex aquis æstu adauctis extantes viderent, lintribus aduehérent. Naturam denique ipsam aduerso mari fluuioque superuadere nituntur. Iustinus Nassauius suos quoque Bredæ aggeres denuò instaurare, ostia munimentáque labefacta reconcinnare instituit: vallos præterea murósque aduersus tormenta attollere, ne ædificijs adeò ia-

Hostis in mole instauranda pertinacia.

Noua artes ad molem firmandam.

Iustinus Nassauius pro suâ quoque parte admititur.

 culatio-

Prudens Marchionis Spinolæ metus. culatione nostrâ noceretur. Spinola, etsi Architectorum affirmatione iam vtcumque crederet, castra sua neque redundantibus æstu cloacis, neque restagnantibus oppidi fossis submoueri posse, ex quo nouæ fossæ ductu, paludes in Merkam ab agris auerterat; tamen quòd sciret, Hollandos scientiâ atque vsu nauticarum rerum valere, videretque eos conatu non desistere, exploratores perpetuò Seuenbergam immittebat, non contentus auditione pro re compertâ, nisi visa etiam abs se dicerent, quæ explorasse narrabant. Cumque adferretur, molem iam magnâ perfectâ parte procedere, & naues ad anchoram stare plurimas supportandæ annonæ expeditas, eam in partem conuersas quà Bredam ventus ferebat: Numinis iterùm curâ, ventus, qui secundus ad eum diem flauerat, in contrarium se vertit, tantaq; subitò tempestas coorta est, vt & trabes, quæ fistucis in flumen actæ, & cespes & fasces & saxa fuerint alluuione deuecta, & lembi quibus glebas materiamque apportarant, inuicem afflicti, inque littus eiecti, omnisque nauigatio penitus impedita. Deinde verò eæ tempestates consecutæ sunt, commutatione temporis, continuationeque ventorum, vt susceptæ molis opus necessariò duxerint in sequentem Martium proferendum.

Vsus exploratorum.

Tempestate moles omnis disiecta.

Molis substructio in aliud tempus prolata.

Senatus Bredani prouidentia. His cognitis, Senatus, ne aut diuturnitate obsidionis eos deficeret annona, aut ob ærarij tenuitatem, soluendo militi stipendia tandem deessent, remedijs duobus prouidendum duxit. Annonam in primis parcè distribuendo metiendoq; extendit. Nam postquam semel Septembri mense frumenti rationes domesticatim subduxisset, iterùm Octobri frumenta omnia vrbe totâ adnotasset, rursum eodem Octobri, bidui tantùm interuallo, quæ notata erant est admensus, appositis vicatim Centurionibus, numeroque capitum per familias descripto. Cùm verò reperirentur apud ciues mensurarum filiginis millia XII. in cellâ publicâ millia V. & pecora D. decretum est, admetiendas esse, quot hebdomadis, militi quidem ex publico horreo mensuras CL. ciuibus, ex aceruo suo, mensu-

Ciuium Bredanorum granaria sæpius excussa.

Frumenti Bredani numerus initus.

Noua frumenti recensio.

menſuras M. cædenda pecora XVIII. quorum libra veniret beſſe cum ſemiſſe.

Sed neque eâ diſpenſatione contenti, Nouembri denuò luſtratis ciuium granarijs, frumenta omnia rurſum adnotarunt, vetueruntque, abſque publicâ auctoritate aut vendi aut efferri, propoſitâ pœnâ XL. Philippeorum. Quâ pœnâ quoque ſanxerunt, vt ciuium nemo ceruiſiam deinceps domi coquere poſſet, ne frumenti plus abſumerent coquendâ clàm lautiore. Amplius denique Decembri factum, cùm in publicum conferri priuatis ex ædibus iuſsêre, quidquid alibi frumenti compreſſum tenebatur. Ac ne falli quidem à quoquam poſſent, ipſis Kalendis Ianuarijs, ſingulos in curiam vocatos iuſiurandum adegerunt, vti ex animi ſententiâ profiterentur, quantum quiſque ſiliginis, farinæ, hordei, auenæ, ſeu ſuum ſeu alienum, conditum apud ſe haberet. Eâ conditione ac lege, vt qui iuratus numerum profiteri nollet, tantiſper in dies ſingulos, penderet florenos decem: qui verò ſciens peieraſſet, periurij pœnis, & ducentis inſuper ſcutis multaretur. Iiſdem pœnis obſtricti piſtores molitoreſque; quibus lege ſumptuariâ interdictum, panem pinſere leuiorem pondo ſex & quadrante; aut frumenti farinæve ſimul cuiquam vendere plus libris duabus. His legibus perlatis, poſtridie Kalendas Ianuarias Senatus Centurioneſque, domos granariáque omnia obeuntes, frumenta ſingulis abſtulêre, interpoſito iuramento, nihil prætereà frumenti clauſum ab ijs retineri. Iam ærarij vitio mederi ad hunc modum conati ſunt. Vrbi Præfectus, Centuriones, Tribuni, Pro-præfectíque omnes, iureiurando, quantum quiſque pecuniæ haberet, affirmauêre, vt quid mutui ſinguli dare poſſent, conficeretur. Tum quinque generum nummi ære argentóque conflati, figurâ quadratâ. Argentei quidem, vnius, duûm ac trium florenorum; ærei, aſſis & beſſis cum ſemiſſe. Deinde per præconem edictum, id genus nummos auctoritate publicâ tanti æſtimatum iri,

Ceruiſiæ foris coquendæ lex.

Frumenta in publicum collata.

Ciues adiguntur iuſiurandum.


Lex ſumptuaria piſtoribus & molitoribus lata.


Bredani ærario publico medentur.

Noui nummi procuſi.

tantíque valituros, quanto pretij numero notarentur. Hæc nummorum argenteorum forma:







Intereà ſiniſtri nobis de Gochemio Cliuiæ oppido nuntij deferuntur. Lambertus Charleſius Neomago ab Ordinibus fœderatis Præfectus, cognito exiguo præſidij numero, mœniúmque labe; collectâ è vicinis fœderatorum vrbibus manu, vrbem, quâ parte introrumpi poterat, adoritur, inuadítque. De nongentis noſtrorum, qui præſidio relicti fuerant, quingenti omnino gerendis armis idonei cenſebantur, ceteris morbo ſeniòve confectis. Munimenta madore infirmata, quà mœnium foſſæ vadoſæ erant, tranſitum gregibus præbebant, neque fuerant ſudibus palíſve eâ parte præſepta. Iacobus Tourlandus Gochemio Præfectus, de militum Neomagenſium egreſſu edoctus, vicinos vrbium Regiarum Præfectos admonet, ne quid detrimenti caperent, ſui, vt ſibi videbatur, ſecurus. Stationes vigiliarum in mœnibus identidem obit, pridieque eum diem quo oppidum oppugnatum fuit, duplicatum numerum militum cuſtodijs diſponit. Octoginta eo loci excubare iubet, vbi muri vitium fecerant, quà per ruinas facilior patere aditus videbatur. Simul quid de hoſtis egreſſu accepiſſet, quid vicinos admonuiſſet, quid feciſſet ipſe, earum rerum omnium rationem Spinolæ per litteras reddit; qui litteris Ioannis Gonſalij VVeſalienſis Præfecti, de ambiguo rerum ſtatu, vnà cum Tourlandi epiſtolâ acceptis, Tourlandum reprehendit, quòd ſui aut oblitus aut ſecurus, aliorum ſollicitudinem ſuſcepiſſet, cùm ipſe tanto

Charleſij in Gochemium ſuſcepta impreſſio.

Mœnium Gochemienſium vitium.

Excubiæ duplicatæ.

Spinola Tourlandum reprehendit.

tanto locorum interuallo præſidium è caſtris ſubmittere in tempore non poſſet. Hoſtes noctis ſilentio profecti, benè manè ſub collapſum oppidi murum conſtitêre. Peditum fuiſſe millia IV. equites CD. famâ iactatum eſt. Hi dum per ruinas in faſtigium adnituntur, octoginta vigiles noſtri, præſentiâ numeroque improuiſi hoſtis turbati, deſerto optione ſuo, in fugam turpi formidine verſi, hoſti introëundi locum patefecêre, per eam munitionem quam acceperant defendendam. Illi diſtrictis gladijs murum occupantes, portis duabus, foroque haud multò pòſt potiuntur. Tourlandus à ſuorum pleriſque deſertus, cùm ægrè oppugnationem ſuſtineret, hoſte iam portis admiſſo; arcem portamque vrbis reliquam, collecto è fugâ milite, defendendas inuadit. Ad Ioannem Gonſalium auxilia rogatum, VVeſaliam mittit, pollicitus ſe ſuoſque tantiſper in officio fore. Rehortatur eum Gonſalius, vti priſtinam virtutem retineat, addicitque ſubſidia breui abs ſe aduentura; tantùm permaneat in fide. Ægrè is dies ſuſtentatur. Noctu cùm hoſtium impetum noſtri animo magno ſuſtinuiſſent, portâ tandem depelluntur. Arx ſola reſtabat. Poſtridie viſa ſubſidia peditum M. qui contrà quàm Tourlandus fieri mandauerat, arcem poſticâ ingreſſi, pontem opere tumultuario factum, feſtinando fregêre, trecentis vltra flumen relictis, qui omnes aut hoſtium telis occiſi, aut viui in eorum poteſtatem venêre. Tourlandus eo ponte, quo in vrbem ex arce itur, quemque ipſe abruperat, ſcalis tabuliſque refecto, eruptionem in vrbem facturus, traiecto ventre grauiter ſauciatur; ac tum demum Centurionibus omnibus viſum, deditionem honeſtis pactionibus eſſe faciendam. Ita hoſtes poſt triduum arce vrbeque potiti ſunt. Lambertus Charleſius expeditionis auctor, victoriâ quidem vſus, ſed non diu victoriæ fructu lætatus eſt. Nam poſtquam domibus aliquot exſpoliatis, fanis direptis, aris ſubuerſis, ſtatuis combuſtis, diuina atque humana omnia promiſcua, nihil denique penſi neque moderati habuiſſet, perinde

Hoſtium inopinatus aduentus.

Noſtri militis turpis formido ac fuga.

Hoſtium audacia.

Tourlandus arcem & vnam vrbis portam retinet, petitque è vicinis auxilia.

Noſtri portâ depelluntur.

Auxiliorum turba ſine ordine admiſſa obeſt ſibi aliiſque.

Tourlandus in eruptione ſauciatur.

Hoſtes Gochemio potiti.

Charleſij impietas & pœna quas dedit.

perinde atque iniuriam facere, id demum fuiſſet victoriâ vti; paralyſi extinctus, dignas ſceleribus pœnas dedit. Apparuit, ipsâ hoſtium ſententiâ, nihil magnum amiſſo Gochemio nobis deceſſiſſe, neque tam eius retinendi ſtudio, quàm conſilio auertendi à Bredâ Spinolæ, fuiſſe ab ijs interceptum. Bredâ enim iam deditâ, nobiſcum pacti ſunt (nullâ inuicem conditione petitâ) vti id oppidum neutrarum partium ac liberum eſſe cenſeremus. Bredani tamen eâ victoriâ intellectâ, de muro cum vigilijs noſtris colloquentes, Gochemium, per militarem facetiam, eos ablegabant. Sub id tempus nuntiatum, copias, quas Mansfeldicus accerſerat, haud procul Hannoniæ Arteſiæque finibus (quæ finitimæ Gallis ſunt Prouinciæ) oberrare. Iſabella Archidux, quamuis ſuſpicari non poſſet, Principum quempiam res ſuas florentes cum perditis Mansfeldici implicaturum eſſe; quòd tamen Regias voluntates, vt vehementes, ſic mobiles ſubinde ac varias eſſe non ignoraret, ipſa pro periculi magnitudine, bellum in omnem caſum parare, defenſura fortiter ſi offerretur. Præſidia igitur circa Hannoniam Arteſiamque, tuendorum confinium causâ, conſtituere; Hannonibus Emdanum Comitem pro duce mittere; Arteſiam Hooghſtratano Comiti (qui eam ſummæ Præfecturæ auctoritate obtinebat) tuendam commendare; Comitem Sforzam ad Imperatorias Bauaricaſque copias in Mansfeldici aduentum accelerandas mittere; iubere frumenta pecoraque in remotiores vrbes compelli; vetare in Galliam è Belgis equos educi, vti Galli inde prohibuerant frumenta in Belgas exportari. Spinola quoque ſuſpicatus, Mansfeldicum Gallicis, Anglicis, Germanicisque auxilijs inſtructum, ad inferiorem Palatinatum reſpicere; Guilielmum Verdugium eorum locorum Præfectum, Germanorum peditum cohortes liberas IIX. equitum II. præſidio adlegere iubet, præter admiſſam in ſtipendia legionem Tribuni Gratzij, cum equitibus D. Armauerant ſeſe intereà milites Prouincijs Belgicis imperati,

Gochemium liberum ac neutrarum partium oppidum declaratur.

Bredanorum in noſtros ioca.

Fama de aduentu exterarum copiarum.

Iſabella Archiducis prudentia in paranda defenſione.

Spinola nouo milite ſcripto prouidet Palatinatui.

ti, equitum millia III. peditum millia ferè XV. Præſtò erant cohortes nouæ exeunte æſtate collectæ. Venerat legio Comitis Anholtini peditum millium III. cum alarijs equitibus M. Fines attigerant (admaturante Barone d'Ainſio) Imperatoria auxilia, quæ Marchio Carolus Spinelli ſummâ decernendi cum Mansfeldico ſpe ductabat, equites bis mille ducenti, peditum millia III. Prouinciales copiæ omnes Carolo Coloma, nuper Balearium Pro-Regi, cum imperio mandantur; equitum Prouincialium Magiſtro creato Alberto Arenbergio Barbanconij Principe, qui recèns ob id munus à Tribunitiâ Præfecturâ fuerat euocatus. Hi primùm iuſſi ad Namurcum manere, vt Mansfeldicum tranſitu intercluderent, ſi, vt nuper, ad inuadendos fines aduenisſet; ſed mox intellecto eum Mauritij ſeſe caſtris iuncturum, ambo cum copijs Imperatorijs Prouincialibuſque haud procul Antuerpiâ conſedêre.

Præſtò ſunt Prouinciales copiæ & auxilia.

Imperatoria auxilia ducit Marchio Spinelli.

Carolo Colomæ Prouincialium copiarum exercitus commendatur.

Alberto Principi Barbanconio equitatus Prouincialis tribuitur.

Spinola tanto exercitu lætus, quantum vix vllâ retrò memoriâ Belgæ vidiſſe meminerunt (cenſebantur enim, præter vrbium finitimarum præſidia, peditum millia XXX. equitum millia IIX.) nullum tamen obſidionis tempus ſine ſollicitudine intermittebat, quin Mauritij obſeſſorumque conſilia, literis interceptis, intelligere niteretur. Huius rei causâ varios in ſtationibus inſidijſque locat, magnis propoſitis præmijs, ſi huiuſmodi litteras excepiſſent. Tres obſeruati vrbem ingredi, cuſtodijs noſtris aut incurioſis, aut celeritate deluſis: eo ferè loci, vnde hi viſi elabi, à quærentibus, poſt dies paucos, crumenula inuenta, in quâ geminæ litteræ cerâ oblitæ, aduerſus contumeliam aquæ, ſi fuiſſent per aquam perferendæ. Ambæ Mauritij erant, ad Iuſtinum Naſſauium vnæ, alteræ ad Bredenſem Senatum, notis ſigilliſque propè inexplicabilibus ſcriptæ. In his cùm multorum labor inſudaſſet, vnius Michaëlis Routartij, Regi Marchioníque à Secretis, felicitas vicit. Is diei noctiſque continuato ſtudio, earum ſententiam aſſecutus eſt. Hæc ſumma vnarum

Quanta totius exercitus ſumma.

Spinolæ ſtudium ad cognoſcenda hoſtium conſilia.

Mauritij litteræ caſu inuentæ.

Litteræ notis ſcriptæ à Michaële Routartio explicatæ.

rum ad Iuſtinum erat, quibus alteræ ad Senatum reſpondebant, eodem ſed breuiore argumento.

Magnâ ſe animi voluptate intellexiſſe, tantum nuper frumenti numerum apud ciues fuiſſe repertum. Efficiendum omnino, vt parcè erogando, etiam extendatur, quò plus temporis ſibi ſuperſit ad ſuppetias ferendas; cuius vnius rei gratiâ in Galliâ, Angliâ, Prouincijſque fœderatis, conatu maximo laboretur. Adeſſe eo conſilio Mansfeldicum, vt iunctis copijs ſuis, Spinolam auocet ab obſidione. Adfuturas eas iam fuiſſe, fuiſſet abſque aduerſis ventorum tempeſtatibus. Gallorum equitum millia II. (præter cohortes aliquot Leodienſi ditione & alibi ſcriptas) Boloniæ; Anglorum peditum millia XIV. Douueræ ad conſcendendum eſſe parata. Reliquum peditatum in Germaniâ Prouincijſque fœderatis ab eo lectum ad millia II. in naues impoſitum, cum alijs nonnullis copijs operiri tempeſtatem. Iam ſemel feciſſe vela, ſed aduerſo vento fuiſſe retrò reiectos. Quod ad Ordines ipſos fœderatos attineret, eos nihil laboris ſumptuumque prætermiſſuros, ad conatus Mansfeldici promouendos, Bredamque liberandam, decreto iam nouo exercitu quater mille equitum, ſupra numerum exercitus conſueti, in Angliâ Galliaque ſcribendorum; peditum autem ampliùs millibus ſex ſeptémve, ibidem cogendorum. Prorſus vt ſperandum ſit, ineunte Vere, confecta fore armata millia peditum XL. equitum millia VI. ad Bredam quoquo modo liberandam. Quod vti quàm maximo exercitus vrbiſque bono fiat, optare ſe, vti annona (quod ipſe Iuſtinus ſcripſiſſet) à decimo Ianuarij currentis die in centum & octo dies proximos ad Kalendas vſque Maias ſuperare poſſit. Et quamquam omnino ſperaret, multò etiam citiùs copias ſuas omnes paratas fore, rogare tamen, vti quantum fieri poſſit annona extraheretur parcendo, quò ſuo alterique exercitui, qui etiamnum in Galliæ finibus conſideret, plus temporis ſupereſſet. Iam quòd intelligere cupijſſet, ecquid ipſe de erogandâ militibus, ciuibus,

„ciuibus, vxoribus liberiſque certâ panis portionè cenſeret;
„dignum ſibi æſtimatione viſum, plus vulgò tum edi ſolere,
„cùm panis dimenſo erogatur; aliàs non ampliùs conſueto
„neceſſarioque emi, maximè vbi venum iret. Præterquam
„quòd ea res tumultibus etiam anſas præbere ſoleat, quãtauis
„maxima cautio æquitati ſeruandæ adhibeatur. Quamobrem
„relinquere id omne ipſius Senatus Concilijque militaris ar-
„bitrio, quodcumque ad annonæ parcimoniam ex vſu bono-
„que fore, ſint decreturi. Quid militum equis faciundum eſ-
„ſet (frugibus pabuloque conſumptis) cum Ordinibus ſe tra-
„ctaſſe. Promiſiſſe eos, præſtituros ſeſe id omne pretij, quod
„pro viuis amplius quàm pro mactatis equites fuiſſent acce-
„pturi, modò æqua æſtimatio conſtitueretur. Quare nihil de-
„trectarent ad extremam famem tolerandam cædendos eos
„in publicum conferre. Lactantes vaccas (quoniam lactis
„magna vtilitas eſſet) in vltimæ inopiæ leuamen ſeruarent,
„quamdiu pabuli quippiam ſuperaret. Quamuis autem dubi-
„tandum non eſſet, nuper eum cum Senatu omnium ciuium
„granaria cellaſque ſummâ diligentiâ excuſſiſſe; orare tamen,
„perpetuò circumſpiceret rationes omnes communis acerui
„augendi, ſi quid fortè per fraudem à quopiam fuiſſet occul-
„tatum. Præterea ab Senatu quidem indicatam ſibi populi
„Bredani ſtudioſiſſimam voluntatem, ad omnes obſidionis
„anguſtias ære ſuo priuato frumentoque leniendas; ſed dela-
„tas ab eo quoque querelas, aduerſus inſolentiam præſidiario-
„rum: qui quamuis neque de hoſpitio, neque de foco, neque
„de ſtipendio, neque de cibariorum grauiore pretio, iure que-
„ri poſſent; tamen per licentiam & vim interdiu iuxtà ac no-
„ctu, nihil penſi haberent aut domos ſuffringere, aut hortos
„ſuffodere, aut ſepes hortorum conuellere, aut ſtabula, offici-
„nas ſtationéſque ipſas diripere; idque ſolius diſciplinæ remiſ-
„ſione, cùm impunè abijſſet nonnullis nuper ob has noxas in
„vincula abſtractis. Quod exemplum haud dubiè prompti-
„tudinem ardoremque ciuium in obeundis vigilijs refrigera-
 re poſ-

re posset, qui iam causari cœpissent, suas sibi domos, priùs » mœnibus ipsis, aduersus domesticum hostem esse custodien- » das. Quare cupere se, vti, si ita compertum fuerit, in eos, qui » deinceps peccaturi essent, seueriùs consulatur, quò ad ceteros » pœnæ metus perueniret: militum enim esse ciuibus iniurias » prohibere, non facere. Velle autem, vti Tribunis Assessori- » busque Concilij militaris, hæ suæ litteræ traderentur, quò » intelligerent, hisce ciuium incommodis omnino prouiden- » dum esse, qui cetera satis premerentur. De nouo hostium » aggere, de loricâ aggeri aduersus Seuenbergam impositâ, de » prædu ctâ ingenti è trabibus sepe, aliunde se quoque accepis- » se. Porrò Ordines non supersedere Bredano flumine propè » Seuenbergam obstruendo, idque breui fore confectum. » Quamquam quid, alueo illo intercluso, futurum sit, à multis » dubitari. Ab his campos latè restagnaturos putari, ab illis » disputari. Iudicaturum se, post euentum. Certum se scire, » esse sinum illum tam amplum, vt non nisi immensis aquis » expleri possit, etiamsi flumen retineretur; neque magno au- » xilio fore ad aggerem penetrandum adeò iam ab hoste fir- » matum. Molestiæ tamen aliquid hosti id opus allaturum, » quando ipse suppetias venturus esset. Quare non fore abs re, » si in id tempus expeditæ essent ab eo naues ad se ex vrbe ad- » iuuandum. Hæc erat litterarum summa. Extremis ad cal- » cem adiectum erat: Mansfeldici copias denuò quidem sol- » uisse, sed contrario iterùm vento in portum fuisse relatas. » Lambertum Charlesium Neomagi Præfectum, Gochemio » per vim potitum esse. »


Spinola aduersus hostiũ consilia se nouis operibus munit.

His acceptis, cùm patefacta nobis essent Mauritij consilia, aduocantis flagitantisque vim tantam militum externorum; Spinola intelligens omne ad se bellum esse translatum, triumque adhuc mensium spatio in castris hærendum fore (quando Bredam tantâ pertinaciâ liberandam Mauritius suscepisset, quasi omnem Reipublicæ salutem in eius vrbis periculo positam existimasset) prorutis primùm ijs muni-

tioni-

tionibus, quas nuper Mauritius Medæ exſtructas deſeruerat, caſtra ſua incredibili labore, vallo admirandæ magnitudinis circumuenire, iniquiſſimo hiemis tempore inſtituit, ne tantus hoſtium exercitus in incautum à tergo irrumpere ſub initium veris, vt decreuerant, poſſet. Is vallus cùm perfectus eſſet, circuitu toto complectebatur paſſuum millia LII. *Incredibilis magnitudo noui valli externi.* Tantò ſcilicet hic maior erat priore illo ſubitario, continente millia paſſuum non amplius XXX. ſexcentos. Mirabitur poſteritas, neque ipſi, ſi viuerent, crederent Pompeius aut Cæſar; quorum ille, vt magnum, vallo paſſuum millium XV. hic XIIX. ad Dyrrachium contendêre. Ne tamen rationes *Rationes ſubducta in paſſus ſingulorum caſtrorum.* calculi quiſquam vacillare exiſtimet, numerum paſſuum per caſtra ſingula, fidâ propriaque curâ repertum, in tabulas placuit referri. Spinolæ caſtra Ginekenſi pago, cum eâ ſtatione quam à tergo Magiſter equitum Salazarius tuebatur, claudebantur vallo paſſuum millium XXII. ſexcentorum triginta trium: Balanconij VIII. millium ſexcentorum: Iſenburgici XI. millium quingentorum quinquaginta quatuor: Ballionij IX. millium octingentorum tredecim. Iam vrbem Spinola altero item, ſed minoris ſpatij vallo, introrſum circumdare aduerſus obſeſſorum eruptiones cœpit. Is, quòd vrbs priùs dederetur, numquam plenè perfectus fuit; tamē circulo ſuo imperfecto, obtinebat paſſuum millia XVI. Vterque autem hic vallus altitudinis fuit pedum X. muris *Magnitudo interioris valli.* non directè ſed faſtigiatim ſurgentibus: infernè craſſitudine pedum XV. ſuppedaneo ſcamno internè ad vſum iaculatorum in gradus duos ſubſtructo, ſupra quod eminebat lorica, craſſa infernè pedes X. ſupernè VI. erecta in altitudinem pedum V. foſſa externè depreſſa altitudine pedum VII. latitudine XV. à labro ad labrum, fundo patente pedes non amplius VIII. Tantum quoque firmitatis, duo hæc valla amplius habuêre prioribus duobus, quæ altitudine non excedebant pedes V. craſſitudine VII. foſſa nihilo latiore. Horum *Quæ vallo vtrique inædificata opera.* vallorum maiorum vtrique inædificatæ turres nouæ, agge-

Specimen posterioris circumuallationis circulo passuum LII. *millium.*



resque multi imponendis tormentis, qui bini prætereà erant ad singulas castrorum portas, loricâ extrorsum pro aditu in cubitum curuatâ. Castella item adiuncta, pro locorum periculo situque diuersa. Singula insuper castra, destructis minoribus nonnullis munitiunculis, nouis receptaculis operibusque multis deinde fuêre ita communita, vt nisi qui viderit, cogitatione assequi tantorum operum substructiones difficilè omnino possit. Labyrinthum quemdam munitionum non iniuriâ appellarim. Censa in ipsis castris (præter ea munimenta quæ varijs in pagis aut ad tuendos commeatus, aut ad impediendas irruptiones fuêre substructa) opera vniuersim CLXXIIX. turres nimirum XCVI. castella XXXVII. aggeres plani aut murati XLV. Adeò obsidio hæc celeberrimam Cæsaris ad Dyrrachium molitionem superauit, vbi castella fuere non amplius XXIV. nullis alijs præter vallum munitionibus factis. Ecquod verò illustrius quàm gentis

Singula castra magis munita.

Opera quàm multa.

æmulæ

æmulæ teſtimonium? Galli namque figmento nouæ vocis linguam ſuam locupletarunt, & *Bredaner* iam dicere inſtituerunt; quaſi nobiliùs ſic loquerentur, quàm ſi *coronâ expugnare* ſermonibus vſurparent. Dum hęc adminiſtrari cœpta, Mansfeldicus tranſmarinis alijſque auxilijs comparatis, è contempto iam metuendum ſe ratus, Palatinatum petentis ſpeciem ſimulans, per litteras Archiducem Iſabellam quàm „ ſummiſſimè rogat: Vti tutum ſibi iter per fines ſuos conce„ dat, commeatuque ſupportato iuuet. In animo ſibi eſſe, ſine „ omni maleficio per Prouincias Regias iter habere, quà ſibi „ neceſſariò tranſeundum eſſet, ad obſequendum Angliæ Re„ gi Domino ſuo. Noluiſſe ſe id eâ inſciente tentare, quod ipſa, „ niſi iniuriâ, negare non poſſe videretur. ſin tamen negaret, „ tum vi ſe facturum viam, quam cauſæ ſuæ æquitas eſſet „ apertura. Iſabella noti hominis ingenium ſæpiùs experta, ſilentio ſignificandum duxit, & quàm parum fidei apud ſe haberet, & quàm parum formidaret ſubitarium hebetemque eius exercitum, agri magis quàm belli cultorem, nec ferè niſi coactis per vim tyronibus conflatum, ipſa tam præſtanti multoque milite confirmata.

Mansfeldici aſtus.

Eiuſdem ad Iſabellam Archiducem fallaces litteræ.

Iſabella nec reſponſo dignatur notam Mansfeldici inconſtantiam.

Bredani intereà dum tantis ſe operibus circumuallari vident, & ſpe longâ Mansfeldici opem expectant, atque ille auxilia mari circumuecta diutiùs opinione tardaret, ingemiſcere ac fatigari. Nimirum iam caſeus, iam aſellus defecerant, iam immanè ingraueſcere cibarijs pretia cœperant. Butyri libra ſtabat aſſibus xxv. olei cantharus coronato vno; ouum vnum aſſibus III. menſura piſorum coronatis x. libra ſuillæ aſſibus xv. Quæ caritas annonæ præſidiarios Anglos, inediæ impatientes, ad infamem cadauerum eſum abiecit. Alios pleroſq; ciborum inſolentium vſus ſcurbuco (ſic Medici vocant) confecit: omnibus enim defeſſi malis, peſtilentiâ graui conflictati, frumento vetere atque corrupto alebantur, quod ad huiuſmodi caſus antiquitus fuerat paratum. Ciues vt militum labores, vigiliarumq; crebritatem minuerent,

Bredanorum anguſtia.

Annonæ caritas Bredæ.

Morbi ex cibi mutatione.

Ciuium voluntas ad militem ſubleuandum.

rent, mœnium muros ſeruandos ſibi delegerunt, extremis militi munitionibus relictis. Quo ab opere nemo, etſi veteranus aut immunis, vacatione vti voluit. Iuſtinus, ne qua militum coniuratio, annonæ ſæuitiâ impatientiaque efflagraret, quò fidos ſibi faceret, opifices egentiores in militum mortuorum loca adlegit, vt ſtipendia facerent, cùm iam quæſtum non poſſent, eorumque labori ſuccederent. Prætereà alternis excubijs abſolutos, nec niſi tertiâ nocte vigilare iuſſos, laxiùs licentiuſque habuit, ſolitâ diſciplinæ ſeueritate remiſsâ. Tum adhortari eos Tribuni, de pulpito Verbi-præcones obteſtari, ne ſe animo dimitterent, néve turpiſſimam ſub Hiſpano ſeruitutem leni deditionis nomine appellarent; de Mansfeldici venturi fide nihil eſſe dubitandum; quòd ad diem non adeſſe videretur, eos falli; viciniorem opinione eſſe, ſed nuntios, omni aditu præſepto, perferri nequiſſe: Spinolam non animi causâ tot faciendis quotidie munitionibus exerceri; eo ipſo teſte, non ſuâ affirmatione vterentur; auxilia Germanica, Gallica, Anglica, Battauica appropinquare, quorum timore dies noctesque in opere verſaretur: indignæ mollitiei fore, tam vicinis auxilijs, tantiſper dum adueniſſent, inopiam ferre non poſſe. Omnes iam aſperitates ſuperatas eſſe, libertatem tantùm expectandam. Ne paucorum dierum impatientiâ, tantæ inediæ toleratæ, conſtantięq; laudem amitterent. Quæ cùm dicta eſſent, Tribuni, ne aut falſi ab obſeſſis conuinci, aut viſa auditaque miſera vrbis conditio, indicijs commeantium ad nos perferri poſſet, decreuêre, ne tubicines aut tympaniſtę à nobis miſſi, mœnibus deinde exciperentur, ſed foris reſponſa expectarent; hîc autem lautè liberaliterque haberentur ad annonæ copiam oſtentandam, conſilio ſcilicet Manliano. Senatus quoque alia omnia circumſpiciens, ciuium Collegijs conuentu omni interdixit, Auguſti exemplo, ne factiones titulo collegij ad facinoris alicuius ſocietatem coirent. A Centurionibus autem obſeruati milites, quoties plures circularentur, eorumque

Iuſtini in milites indulgentia, ne tumultuarentur.

Tribunorum ſtudium ad militum animos erigendos.

Vana ſolatia ad leuandum obſeſſorum mœrorem.

Cautio ne fraus inopiáve cognoſcerentur.

Senatus Bredani ad impediendas ſeditiones ſollicitudo.

que

q̃ue interuentu, coniurationes circulorum impeditæ. His ſimilibuſq́ue remedijs vrbi periclitanti conſultum, & ciuium militumq́ue languentes animi ſubleuati, cùm inopiam deinde ſpe ſolâ ſuſtentarent.

Cælum Mansfeldici nauigationi infeſtum.

Iam tandem Mansfeldicus pedeſtria auxilia nauigijs ad Gertrudibergam appulerat, cùm viſum iterùm pugnare cum eo cælum. Venti namque appulſam claſſem ita inuicem afflixêre, vt eliſæ nauium multæ, inutiles redderentur: deinde, tamquam in id tempus totius hiemis frigus fuiſſet dilatum, ſubito gelu flumina omnia fuêre aſtricta, vt annona ijs diu ſupportari non poſſet. Eſt ea Gertrudibergenſium conſuetudo, vt parum domi annonæ aſſeruent, fiduciâ perpetuæ nauigationis, vicinorumq́ue locorum. Hinc tanto militum aduentu exiguum fuit omnibus cibariorum, cùm gelu noua inferri prohiberet. Peſtilentiâ prætereà, febribus, ſalo, nauſeaq́ue ex diutinâ nauium concluſione, anguſtijs loci, & odore tetro confecti plurimi (cùm tyrones eſſent propè omnes, tempeſtatumq́ue ac ſentinæ inſueti) aut mortui aut ſemiuiui in fluctus deijciebantur. Supra IV. millia mortuorum à nonnullis cenſa. Quidam pro mortuis in mare turbati, natando ad littus euaſêre, & viui etiamnum in oppido degunt. Multorum per littus cadauera inſepulta; plurimorum paſſim in terram reſpuente mari eiecta, grauem vicinis Hollandiæ oppidis peſtem afflauêre. Triſte Anglis commilitonibus ſpectaculum, qui externo ſolo, quò ad ſuppetias miſſi, tam aſperè habebantur. Quod verò longè miſerrimum accidebat, cùm Mansfeldicus eos, quos inuitos iuſiurandum adegerat, in terram exponere non auderet, eodem præcipuè remedio interibant, quo, ne fugerent, ſeruabantur; exſcenſus nimirum prohibitione. Plures tamen ad nos fugâ elapſi, inermes, ſquallidi, ceterorum ſpecimen præbuêre, affirmantes ſe reliquis etiam præſtare, cùm omnes propè & inuoluntarij, & militiæ eſſent inſolentes, vt docendi mox fuerint armorum tractationem, cùm in aciem iam

Incommoda militis ad Gertrudibergam appulſi.

Crebra tyronum miſeraq́ mortes.

Anglorum ex communi fortunâ mæror.

Squallor Anglorum militum poſt claſſem appulſam.

Quorumdam imperitia militaris. essent deducendi. Reperti narrantur, qui puluerem, quem ad crebras iaculationes dimenso acceperant, vniuersum simul vice vnâ infundebant, fistulam ore tenus opplentes, vt immittendę glandi vix esset locus, adeò erãt iaculandi periti. *Coacta inuoluntariorum copia.* Constitit multorum litteris, eas copias ex vilissimis ordinum omnium coactò fuisse conflatas, breuique, quà morbis quà defectionibus, adeò esse imminutas, vt de XIV. millibus, vix quaterna superarent. Dum classis Mansfeldiana gelu retinetur; ipsum anni tempus variorum nos consiliorũ admonuit. *Varia pro tempore oblata consilia.* Nordammensis munitio proxima Seuenbergæ, per æstatem æstuarijs inaccessa, iam pedibus propter gelu adiri: Prinslandia quoque, Rosendalia, atque ipsa Seuenberga occupari facilè posse per id tempus credebantur. Dimissi igitur in omnem partem exploratores: pilæ etiam ad incendia, quæ *Consilia impedita.* hostium nauibus inijcerentur, præparatæ. Frustrà, cùm glaciatæ fluminum crustæ (quæ crassæ alioqui firmæque videbantur) fragiles adeò essent, ob intermixtas niues, vt duorum triúmve simul militum pondus ægrè ferrent. Itinera etiam, niuibus nusquam æquabili altitudine iacentibus, sed huc illuc in fossas vento dilatis (vt incerta à solidis discerni non possent) admodum periculosa erant, ad explicandum proficiscentium agmen. Exploratores modò pectore, modò ore tenus extabant; aliquando substractis niuibus disiecti aut obruti. Non vox, non mutui hortatus iuuabant. Fuggeriani *Fuggerianorum militum astus.* milites tres ad omnem audaciam exercitati, Rosendaliam in castra ingressi, postquam compotando confabulandoque hostium naues explorassent, in reditu proditi, vix fugâ euasêre, vno sauciato captoque. Aliàs Fuggerianis suæ artes feliciùs euenerant, paucique multos frequenter reduxerant captiuos. Sed varia belli dolique est fortuna. Erant nonnulli, qui Spinolam orabant, vt copijs Caroli Coloma, suisque aliquot cohortibus adiunctis, Rosendaliam parum munitam fineret inuadi. Sciri indicio incolarum, eos adeò metu nostri perterritos esse, vt vasis collectis ad fugam magis quàm pugnam

gnam

gnam ſtarent comparati; fieri id ſine damno periculoque poſſe, ſi tantiſper equitatus noſter contra Bergozomium Prinſlandiamque bipartitò obijceretur. Spinola, cui cauta potiùs conſilia cum ratione, quàm proſpera ex caſu placerent, grauiore examine ſecum omnia pertractans, ratus eam rem nihil admodum ad ſummam victoriæ iuuare poſſe, maluit ſuos integros in neceſſarij certaminis occaſionem ſeruare, quàm aut vniuerſum exercitum hoſtilis audaciæ opinione deterrere, aut hoſtium animos ſucceſſu erigere, ſi paucorum ſuorum pugna infeliciter fortè eueniſſet. Solere nempe in bello, minimis ſępè momentis, maximas rerum fieri commutationes; neque prudentis Ducis eſſe, victorias paruas maioribus periculis conſectari. Quarto Nonas Martias vertebatur anniuerſarius dies Bredæ olim ab Ordinibus fœderatis per fraudem nauigij interceptæ. Hunc diem Bredani quotannis celebrare ſoliti, nunc tantò etiam coluêre ſplendidiùs, quantò in poſterum fortè rariùs celebraturos ſe credebant; parentalium veriùs quàm natalium ritu. Ter quippe minoribus maioribuſque fiſtulis omnibus ſub veſperam exploſis, poſtremam ei memoriæ noctem conſecrarunt. Iam tempus aderat, in quod intermiſſa in flumine molis adminiſtratio fuerat prolata. Id interuallum, quo nautæ opificeſque laborem deſierant, variorum ſtudia excitarat. Quidam ingentis pretij pactione perfecturum ſe opus propè deſperatum recepit. Is, præſentibus ijs quos Ordines huic molitioni curandæ præfecerant, loco haud procul à priore delecto, vbi vadoſius anguſtiuſque eſt flumen, ſaxa reticulis (ne diffluerent) illigata demergit; arenæ quoddam tenacis genus (ex Angliâ Galliáve, vt ferebant, ſubuectum) ſaxis aſpergit, ad effarciendas rimas, firmandamque molem. Res ſolito meliùs ire videbatur, cùm ſubitâ cęli mutatione, tanta ſe rurſus aquæ vis, Martiæ Lunæ æſtu (quo maximè tumeſcit Oceanus) ex alto concitauit, tantaque ſimul imbrium ac ſolutarum niuium alluuio vndequaque affluxit, vt & moles cœpta

Spinola non facilè incerta conſilia arripit.

Anniuerſarius Bredæ olim Regi erepta dies ab obſeſſis celebratus.

Intermiſſus labor ad molem faciendam reſumptus.

Noua ad perficiendam molem artes.

Moles propè perfecta eluuione diſiecta.

pta ad Seuenbergam, & pleraque Rosendaliæ, & quædam Bredanæ vrbis suburbana munimenta, penitus subruerentur. Nostrorum quoque castrorum itinera, munitionesque nonnullæ vrbi viciniores, ita fuêre inundata, vt nisi lintribus adiri triduo non possent; quo tempore castra castris disclusa, graui annonæ difficultate laborarunt, cùm inuicem curribus commeari non possent, neque scapharum tanta suppeteret facultas. Eadem fluuio, littori, campis facies erat. Numquam aliàs clariùs intellectum, quanto Dei beneficio exercitus hieme totâ esset conseruatus: si enim eadem hiberni cæli duritia, copiaque niuium (quæ breuissimo hoc exeuntis hiemis tempore extitit) prioribus (vti aliàs erat solitum) mensibus accidisset, haud dubiè susceptam obsidionem deserere vel solâ temporis iniquitate debuissemus. Nam per paucos illos dies, quibus acriùs frigus sæuiebat, ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt. Nonnullis adeò prærigućre manus pedesque, vt cultris fuerint descandi. Vectores quoque frumentariosque multos, quos itinerum grauitas pluuijs, niuibus, luto, ventisque retardatos in nocturnas profectiones coniecerat, gelu in vijs necauit. Ipse autem commeatus impediebatur adeò, vt trium hebdomadarum spatio (quibus niues geluque perpetuis imbribus soluebantur) vix quidquam annonæ inferretur, præter id, quod Germanorum militum vxores, quotidie instructis ferè agminibus in vicina municipia excurrentes, humeris in castra supportabant. Quarum mulierum, cùm alia quoque perpetua in viros suos extent obsequia, ligno longissimè ferendo, pabulo vndequaque conquirendo, cibarijs apparandis, linteis lauandis, supellectili dum vasa conclamantur portandæ; ea certè illarum ratio in castris habenda videretur, vt non impedimentorum nomine, sed honore Mulorum Marianorum censeantur. Aquis deminutis, hostiles operæ denuò ad institutam molem perficiendam summâ iterùm animi contentione sunt aggressæ. Spinola Leurensis riui

Aquæ exundantis copia castris quoque Regijs incommoda.

Manifestum Dei præsidium.

Hiemis etsi breuis, dura damna.

Retardatio commeatus.

Germanorum vxores castris vtiles magis quàm noxia.

Quo honore accenseri castris debeant Germanorum vxores.

Moles denuò instaurari ab hoste cœpta.

riui oſtia (qui ad Merkam flumen attinebat) ſuffringi, riuoſque nonnullos, qui caſtris ſe noſtris infuderant, obſtrui auertique iuſſit. Aggerem prætereà, quem à Merkâ Hagam vſque paluſtribus locis iecerat, attolli altitudine pedum III. ne ſtagno, quantumuis inflato, ſuperuadi nauigijs poſſet. Illi vt vim rapiditatemque fluminis à Bredâ refluentis obijcibus exceptam refringerent, ab vtraque eius ripâ, introrſum promontoria, hinc inde ripis continentia faciunt, proximè ante eum locum, quem immiſsâ mole obſtruere nitebantur. Tum hiatum illum, qui duo inter promontoria, fluminis medio patebat (quà ſcilicet aquæ iam anguſtiùs coactæ vis maxima ferebatur) præſtruunt trabibus oblongis, tridentis figurâ, paruo interuallo in flumen defixis, quas flumen intercludebat, ſed modicè refractum. Tum molem à tergo inſtituere cœperunt, euentus, vt putabant, ſecuri. Dierum noctiumque aliquot continuato labore, iam eò rem adduxerant, vt aggeribus ab vtroque fluminis labro ductis, præter oris exigui anguſtias, nihil pænè obſtruendum reſtare videretur. Sed tanta fuit aquæ immenſum auctæ coactæque vis, vt iam rueret torrentis impetuoſiſſimi inſtar, quæ anteà per laxum alueum eâ ſemper fluxerat lenitate, vt oculis, in vtram partem flueret, iudicari vix poſſet. Ipſe præterea fundus, ebullientibus vltrò arenis, trabes impactas extrudebat, vt præſtructa ſeps penitus collaberetur. Tempeſtas autem eo tempore incidit tanta, vt & quidquid nauium, ſaxorum, ceſpitum, faſcium, arborum, ad firmandam molem fuerat depreſſum, diſijceretur, & claſſis, quâ Gallicum equitatum Chriſtianus Dux Brunſvvicenſis ſupportabat, in ipſo traiectu grauiſſimè laceraretur, nauibus non paucis depreſſis, multis huc illuc iactatis, quæ curſum vix tenuêre. Ita demum hoſtis, vbi tantos ſuos apparatus malè eueniſſe videt, rem toties fruſtrà tentatam, aliquando ſibi dimittendam iudicauit. Per eos dies, memorabili aſtu, literæ Iuſtini ad Mauritium, Mauritij item Mansfeldicique ad Iuſtinum acceptæ

Spinola molem impedire nititur riuorum ſuffractis oſtijs. & aggere aucto.

Noua molis perficiendæ ratio.

Moles vi aquæ & tempeſtate diſſipata.

Claſsis hoſtilis afflicta.

Molis deſperata ſubſtractio.

Astus insignis, quo Iustini ad Mauritium, & huius ad illum, inuicem literæ interceptæ.

ſunt, quibus res multæ cognitu vtiles Spinolæ aperiebantur. Nonnemo, publicæ rei ſtudio, agreſtem hominem nactus, locorum itinerumq; peritum, ac quidlibet agere promptum, iacturis magnis adducit, vti tabaco, butyro, caſeoque onuſtus, perfugæ ſpecie (quaſi cuſtodias noſtras fefelliſſet) ad Bredæ mœnia penetraret, nauaretque Iuſtino operam ad litteras Mauritio, ſi vellet, perferendas. Homo fluxâ fide, præmij auidus, cùm domi nihil præter inopiam haberet, fidem vendit. Ita ergo inſtructus, vti conuenerat, ad vrbis muros penetrauit. Apportatæ merces, aduenam eſurientibus fecêre gratum. Iuſtinus ſciendi auidus, de caſtris, de reperto tranſitu, de publicâ opinione, multa interrogat. Ille, vt Sinonius ei erat animus, ſuique obtegens, rei cuiuſlibet ſimulator ac diſſimulator; vera quædam referendo, quædam veritati vicina mentiendo, fidem ſibi peperit hominis probi. Nam quæ volumus, eadem & facillimè credimus. Rogatus, an quà irrepſerat, tranſitum aliquem cum litteris reperire ſperaret; cùm trepidè primùm affirmaret, animos ſibi tandem pollicitationibus accendi paſſus eſt, ad rem gerendã, quam vnam recuſantis ſpecie, flagrantiſſimè cupiebat. Litteras igitur Iuſtini ad Mauritium obtinet, præmio propoſito, ſi ablatum ab eo reſponſum in vrbem retuliſſet. Simulator operam omnem addicit. Vbi in caſtra noſtra peruenit, literas Iuſtini ad Spinolam adfert. Id earum erat argumentum:

Iuſtinus à ruſticano circumuenitur.

Ruſtici calliditas.

Ruſtici in Spinolam fides.

Iuſtini ad Mauritium litteræ.

Gauiſum ſe admodum ternis Mauritij literis acceptis, „ quibus intelligebat, & Manſfeldicum cum auxilijs Germa-„ nicis Anglicíſque incolumem aduenisse, & tantos fieri belli „ apparatus, Bredæ ſubleuandæ. Curaturum ſe, vti, quod ad-„ dixerat, frumentum in extremum Aprilem, aut ineuntem „ Maium ſuperaret, niſi fortè ſubiecto igne combureretur, „ quem crebrò hoſtes in vrbem iacularentur globis incluſum. „ Breui ſe nouas frumenti rationes initurum, ciuium granarijs „ perſcrutatis. Machinas hoſtium ab aggere maximo, qui a-„ quariæ molæ obiacebat, ad Balanconij caſtra recèns eſſe ad-„

ueƈtas,

» uectas, contráque myricetum Gertrudibergenſe locatas. Ea » caſtra à Spinolà quoque operibus muniri cœpta. Vrbis præ» ſidium indies peſtilentiâ, dyſenteriâ, ſcurbuco vehementer » diminui. Ægros inopiâ medicamentorum, ſalubriumque » ciborum, recreari curarique non poſſe. Ceteros, qui vale» rent, non dimittere animos, ſed occaſionem auidè expectare » rei benè fortiterque gerendæ. Raporum oleum priùs ſem» per fuiſſe crematum, quàm in obſonia adhibitum, ſed exi» guum ſupereſſe.

Spinola literas Iuſtini Mauritio tranſmittit.

Mauritius ab eodem agreſti deceptus.

Lectas Spinola iterumque obſignatas per eumdem tabellionem mittit, pollicitus liberale ſtipendium, ſi reſponſum à Mauritio literaſque Mansfeldici ad ſe attuliſſet. Mauritius ratus tutò ei nuntio credi poſſe, per quem (ſummâ nempe fide) Iuſtini literas accepiſſet, reſponſum præmiumque laboris dat, & Mansfeldico eum allegat, ad litteras ab eodem obtinendas. Idoneus fraudi tabellio, vtraſque Spinolæ adfert, præmióque donatus diſcedit.

Mauritij litera Iuſtino reſcripta. Spinolæ in manus veniunt.

» Ijs litteris Mauritius Iuſtino ſe purgat de morâ, cauſamq; » tardatarum ſuppetiarum confert in aduerſas anni tempeſta» tes; obteſtatus, vti annonam hebdomadis pluſculis parſimo» niâ extrahere nitatur, etiam vltra extremum Aprilem. Tan» to ſibi tempore ad colligenda iungendaque auxilia opus eſ» ſe: fruſtrà alioqui fore tam immanes Ordinum ſumptus, fru» ſtrà tot ſtudia ſua. Duras quidem has eſſe preces, ſed fortu» nam induſtriâ adiuuandam, maximè quando equitatus om» nis Gallicus à Mansfeldico collectus (duabus tantùm cohor» tibus, quæ in horas expectantur, deſideratis) iam Boloniam » venerit; eoque Ordinum naues, ad eos tranſportandos, pro» fectæ ſecundo vento ſint. Pedeſtres etiam Gallorum copiæ » à Duce Candalio partem adductæ, partem in viâ ſint, vt & » reliquus equitatus peditatuſque per Germaniam pro Ordi» nibus ſcriptus. Supplementa denique Gallica, Anglica, Ger» manica haud multò pòſt aduentura ad id temporis, quod ab » eo prorogari vltra Aprilem velit.

Mans-

Literæ Mansfeldici.

Mansfeldicus Iuſtino conuiuam hoſpitemq́ue ſe breui fore pollicebatur; hilariter tum bibiturum illius ſodaliumq́ue fortiſſimorum ſalutem. Aduenisſe ſe inſtructum cohortibus peditum C. equitum XL. de ſuppetijs nihil dubitaret.

Spinola conſcius Bredanæ neceſſitatis Iuſtinum ad deditionem ſollicitat.

Spinola his iterùm de annonæ exiguitate confirmatus, edoctuſque de lento auxiliorum aduentu, II. Kalendas Apriles, qui Paſchati feſtus erat, Iuſtini animum tentandum duxit, deditione petitâ. Clàm igitur Salazarij Comitis buccinatorem, cum literis ſuis, in hanc ſententiam mittit. Nihil ſe ad hunc diem de Bredâ cum eo tractaſſe ob frumenti numerum, quem in vrbe habuiſſet: aſt iam, quando ſciret etiam, in quem diem certò illi annona ſuppeteret, eaq́ue re æquum non eſſet prolatari ab eo vrbis deditionem; voluiſſe ſe offerre ei honeſtas conditiones, ſi de compoſitione ſecum tractaret. Et quidem ſi temporis aliquantulum poſceret ad ſuppetias expectandas (quas tamen, ob operum ſuorum firmitatem, magnitudinemq́ue circumiacentis exercitus, facilè intelligeret nullo modo vrbi ſubuenire poſſe) id ei conceſſum iri, modò tamen in præſens tractare inciperet, alioqui in poſterum ſimilis gratiæ dandæ cauſam non fore.

Iuſtinus belli Concilio aduocato, acceptas Spinolæ literas legit, inflatúſque promiſſo ſuppetiarum aduentu, annonæq́ue per tot mortuos auctæ incremento, in hæc verba reſpondit:

Iuſtini reſponſum.

Obſtupuiſſe ſe literis Spinolæ lectis, tamq́ue alienâ eius petitione; ampliùs verò, quòd ſe, totq́ue fortes ſocios ſuos, verbis etiam terrere potuiſſe crediddiſſet; quibus præter turpem famam nihil formidandum accidere poſſe ipſe affirmaret. Tempore ipſo appariturum, vt malè de vrbis ſtatu fuerit (ſibi blandiendo) inſtructus, quam illi in manus contradere ſperaret, à quo ſeruandam tuendamq́ue accepiſſet.

Spinola reſponſum Iuſtini occultum prudenter habet.

Prudenter Spinola (ne militi fatigato animus caderet, iactabundâ obſeſſorum vanitate, qui tantos ſpiritus ſumpſerant)

rant) id responsum altissimo silentio pressit. Quod satis fuit ad laboris reliqui breuitatem militi persuadendam, vulgò scitum est suspicionibus, Iustino missum è castris fuisse buccinatorem, vtique de deditione, vt lubenter plerique ominabantur: quamquam multi opiniones fingebant, & ad id quod ab alijs audierant, sui aliquid timoris addebant, cùm falli aut differri diutiùs spes ipsas Spinolæ intelligebāt. Tempori igitur compositio relicta, externorúmque auxiliorum aduentus, firmissimâ factâ circumuallatione, expectatus. Intereà cùm hostium copiæ omnes, euocatis vndequaque præsidijs (ciuibus mercede conductis eorum loco dispositis) Gertrudibergam & Sprangam conuenirent, indidémq; miles reliquus, qui Rosendaliæ hibernarat, expectaretur; Spinola suspectas habens eius temporis moras, ratus eos simulare aduentum, re autem ludificari velle; Siluamducis, Rinberkam, VVesaliam (quæ ferè loca sui à Bredâ auocandi causâ tentari posse existimabat) immissis præsidijs communit. Siluæducis quingentos (quos eius vrbis Præfectus Baro Grobbendonckius legioni recèns acceptæ, supplemento scripserat) præter veteres præsidiarios, præsidio disponit. VVesaliam peditum cohortes VII. è Palatinatu euocat, quæ vicino Rinberkæ oppido opem ferrent; sed literis Mauritij ad Iustinum Nassauium exceptis, cognitum deinde est, eorum omnes copias, Bredæ iuuandæ liberandæque submissas, haud procul castris nostris abesse. His ergo locis, ita vt dictum est, prouisis, Ginekense templum (in quo VI. millia saccorum frumenti moliti condita erant) cum vicino auenæ tabulario, Mauritius, immissis speculatoribus, incendit. Ignis venti magnitudine citiùs serpsit, quàm extingui potuit. Ad duo saccorum millia (saccis alijs superpositis seruata) postridie fuêre sine noxâ inuenta. Spinola nihil eo casu supra bonum atque honestum percussus, damnum (conquisitoribus ad frumenta emenda circummissis) breuî resarsit. A Vincentio Lasannio, summo annonæ Regiæ stru-

Spinolæ aduersus hostiles simulationes prudentia.

Siluamducis præsidio auget.

Mauritius frumenta nostra incendio corrumpit.

Quantum frumenti combustum.

Spinola constantia.

M ctore

Summi annonæ Præfecti Vincentij Lasanny prouida cura. Hollandorum conficti rumores.

ctore (dum incendium is spectaret) Spinolæ tria saccorum tritici millia (quæ in ipsis castris clausa in omnem casum tenuerat) fuêre oblata. Hollandi hæc detrimenta ita inflatè scripsêre, vt quæ vnius templi incendio consumpta prodiderunt, vix sex templorum maximorum parietibus contineri possint. Censa fingunt, quæ eo incendio periêre, XXII. millia saccorum tritici, XX. millia siliginis, VI. millia hordei, XVI. millia auenæ, IV. millia pisorum & fabarum, CCCC. armos carnis suillæ, CC. vasa olei, CC. vasa butyri, CCC. circulos aselli siccati, CC. vasa halecum, CC. vasa carnis salsæ, CC. saccos salis, XXIII. millia caseorum; magnum numerum farinæ, syrupi, ac mellis. His nempe fabulis in maius celebratis, spem alere suorum, nostram vulgare inopiam, Hollandi nitebantur. Atque herculè Bredam diu deserüissemus, si nos fabulæ debellare potuissent.

Spinola armamentario consulit.

Spinola per literas monitus de armamentarij periculo (cui ignem quoque, vt nuper templo, subijcere hostes molirentur) duplicatis custodijs, alteraque circumductâ fossâ, seruari cautiùs fecit; pulueris nitrei numero ferè dimidiato in nouum armamentarium transportato, ne, si periculum incidisset, vniuersus simul accenderetur, exercitusque egeret.

Ingentia vectigalia à fœderatis Ordinibus excogitata.

Ad belli reliquum quod supererat patrandum, cùm intelligerent Ordines fœderati, ærario præcipuè prouidendum esse, cuius modò rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad exigendas pecunias iudicantes; præter tributum in singulorum capita pridem impositum, vrbibus pagisque omnibus ducentesimum pretiorum merciumq; omnium exegerunt.

Aes à socijs in commune collatum.

Coniurati prætereà socijque sexcenta scutorum millia repræsentatione, sexcenta collybi detractione per argentarios qui mensas exercebant, numeranda Ordinibus submisêre. Eo pecuniæ numero conflato, hostibus abundè in id tempus fuit: nobis contrà angustè ab ærario esse cœpit. Quippe cùm ad tentandam Genuam eo ipso tempore, quo districtæ Hispani Regis copiæ ad Bredam adhærescebant, nec auelli sine dede-

dedecore poterant, exercitus Gallicus per montes victor procedebat, plurimorum negotiatorum fides apud exteros (quos Genuæ obſidendæ metus deterrebat) anguſtior eſſe cœpit: atque ita, quod hoſtes diu ſtuduerant, tum anguſtijs ærarij ingentibus nos premebamur. Varij ergo cogendi æris modi propoſiti. Pecuniam inſequentis anni mutuam à publicanis omnibus Regijs præcipere. Vectigalia publica vrbibus in mutui pignus dare. Paciſci cum militaribus Tribunis, vt ſinguli in menſem vnum alterúmve legionum ſuarum Centurionibus, aut militibus, aut vtriſque ſtipendia ab Rege ſoluerent. Si id graue foret, ipſi ſaltem Tribuni ſuiq́ue Centuriones (qui priuatis opibus pollerent) nullis ſtipendijs per bimeſtre contenti, ea ſinerent gregarijs procedere; quod poſtremum Tribuni plerique polliciturі videbantur, ſed in præſens omittendum iudicatum, ne nouitas inopiam indicaret. Tandem Dominatus Regios oppignerare feudi conditione placuit, militiq́ue hac ratione ſubuentum eſt. Per eos dies ad recentes Italiæ motus componendos, Hiſpaniæ Rex Gonſaluum Corduam Italici exercitus ſui Legatum creauit. Gonſaluus Bredanis in caſtris iam inde ab expeditionis principio fuerat, cum eoque & Comite Salazario, Spinola conſilia ſua omnia communicarat, aduerſum alios obſcurus, hiſce duobus intectus. Ille etſi militiæ artibus inſtructiſſimus, & fuſi fugatiq́ue nuper Mansfeldici victoriâ celebris, ijs ſe tamen hîc moribus præſtitit, quales nonnemini Velleius modeſtiſſimos appinxit; actu, otioſis ſimillimum, nihil ſibi vindicantem, eoque aſſequentem omnia; ſemper infra aliorum æſtimationes ſe metientem; vultu vitâque tranquillum, animo exſomnem.

Anguſtia ærarij Regij in Belgio.

Negotiatorũ anguſta apud exteros fides.

Varia æris cogendi artes.

Tribunorum quorumdam voluntas in Regem.

Remedium, inuando honeſtiùs ærario inuentum.

Gonſaluus de Corduâ Italici exercitus Legatus creatur.

Qui mores Gonſalui.

Allati hoc tempore nuntij de morte Regis Anglorum, Hollandicas Mansfeldianáſque molitiones non leuiter tardauerunt. Angli magno numero quotidie ad nos, deſertis ſignis, perfugere; noſtros Mansfeldius à ſuis captos, nullâ lytri exactione remittere; affirmare ſibi nihil inimicitiæ cum

Angli Regis mors.

Ambigua Mansfeldij fides.

 Hiſpa-

Henricus Nassauius vires omnes iungit.

Spinola copias propiùs admouet, vt ad manum prastò sint.

Hiſpano Rege intercedere. Quâ re animaduersâ, Henricus Naſſauius, euocatis Roſendaliâ copijs, collectiſque confinium omnium præſidijs (quaſi breui de ſummâ rei decreturus) ne otio defectionem meditarentur, tyrones quotidie ad militiam certis exercitijs erudire inſtituit. Spinola, vt in tempore auxilia copiaſque præſtò haberet, Henricum Bergium cum equitatu ſuo, nonnulliſque Imperatorijs auxilijs, equitibus nimirum Ducis Saxoniæ mille, & peditum Comitis Collalto Tribuni Cæſarij millibus III. Hooghſtratæ imponit. Arcem municipiumque ipſe cognoſcit, munirique facit. Inde ad Bredana vſque caſtra certis interuallis turres maiores ſex, ſecundùm Hooghſtratanum flumen ædificat. His interuallis perpetuas militum cohortes (quæ ferè inuicem contingerent) conſtituit, vt breuiſſimo tempore exercitus vniuerſus ad Bredam aut Hooghſtratam hoſti pro neceſſitate occurrat. Comitem Anholtinum cum auxilijs Germanicis, peditum nempe ſuorum millibus tribus, equitum verò, quà ſuorum, quà Comitis Iacobi Strozzi, Auendaigna, Gratzij & Herſſij Tribunorum, millibus duobus & quingentis, Carolum Colomam, & Principem Barbanconium cum Prouincialibus copijs, alijſque nonnullis extraordinarijs, per vicinos Antuerpiæ, Mechliniæ Lyræque pagos diſponit. Pro eâ exercitus magnitudine, equorumque numero, tanta pabuli inopia eſſe cœpit, vt aut equino fimo, aut aridis arborum folijs, aut myricis, equi pabulabundi veſcerentur. Auenæ ſatis afferri non poterat, quâ tot currulia ſarcinariaque iumenta, præter ephippiatos militum equos, ſuſtinerentur. Aduentitius miles liberioribus populationibus aſſuefactus, ac noſtræ diſciplinæ inſolens; non contentus priſcâ illâ militaris furti indulgentiâ, argentei vnius in diem, haſtæ, haſtilis, ligni, vtris, follis aut facis; initio domos prædari, pagos vaſtare, commeatus noſtros hoſtili more carpere; ſubinde etiam petulantiùs ob ſtipendij dilationem vociferari, quaſi imperia recuſaturus. Legiones noſtræ, quibus non aliæ vmquam

Ingens pabuli inopia.

quam

quam ad eum diem egerant innocentiùs, doctæ hostem odisse potiùs quàm suos, easdem quoque exterorum artes (vt in vitia semper prompta sunt militum ingenia) maleficijs imitari, & eorum nomen licentiæ suæ accommodare cœperunt. Spinola, Ducibus admonitis, leniundam magis quàm exagitandam eorum hominum vim in tali tempore existimans, capitis quidem pœnam in paucos sanxit, sed instructis Centurionibus, vt veniam abs se peterent, supplicium eis condonauit, ratus non esse id tempus animaduersionis. His locis sparsi dum nostri consistunt, Mauritius Hagæ Batauorum extremum diem clausit, vel hoc nomine felix, quòd viuus non luxerit amissæ Bredæ suæ deditionem. Eius adhuc spirantis extrema verba, post quæ aliud nullum fecit, hæc fuisse feruntur: *An dedita, an liberata est Breda?* vt facilè quiuis intelligat, illius vrbis amittendæ dolore confectum, cuius olim recuperatæ gloriâ primum decus famamque pepererat, cuiusque nunc tuendæ causâ incredibili suo Ordinúmque sumptu, Europam propè vniuersam concitarat.

Extraordinary militis licentiâ, mores exercitus nostri infecti.

Spinola moderatè ob causas punit externi militis licentiam.

Mauritij Nassauij Auriaci Principis mors.

Breda Mauritio prima lætitia, & supremus dolor.

In demortui locum ad bella administranda Henricus Fredericus Nassauius Mauritij frater, Princeps militiæ artibus omníque vrbanitate cultissimus, Ordinum fœderatorum voluntate adlectus est. Eo temporis interuallo, quo Mauritio inferiæ datæ, quo nouus exercitui Imperator dictus, multi Prouincialium nostrarum copiarum, militiæ pœnitentes, domum è statiuis discessêre. Equites quoque veterani non pauci, militiæ duritiam abnuentes, prolati stipendij tædio, ab signis abiêre. Sic & maiore indies numero Galli à Mansfeldianis castris ad nos cateruatim deficiebant, questi se deceptos esse spe inuadendi Palatinatus, neque septem mensium spatio vel vnicum stipendium fecisse. Horum ibi voces nonnullæ audiebantur, sese contra Marchionis Spinolæ exercitum non ituros, si ducerentur. Adolescens Gallus, arte Pharmacopœus, in castris Mansfeldianis deprehensus, compertus ciues suos ad defectionem sollicitasse, inter

Hēricus Fredericus Nassauius Arausij Princeps fratri Mauritio Imperator surrogatus.

Vtrimque ab vtrisque castris defectio multorum abnuentium.

Initia tumultus in castris Mansfeldianis.

Seuero exemplo seditio composita.

ter pernices equos religatus, Metij Suffetij ſupplicio, viuendi finem fecit. Ad Bredam milites noſtri, cum obſeſſis ex vigilijs colloquentes, factâ pactione, ne telum vllum interim traijceretur (vt vna caſtra ex binis iam facta viderentur) ſubinde iocis inuicem laceſſebant. Noſtri illis tabaci paululum aut caſei; illi panis ſui fruſta noſtris adijciebant. Poſt paucos dies, reuerſo ad caſtra nouo belli Imperatore Henrico Naſſauio Arauſij Principe, obſeſſi auxiliorum vicinitate læti, globos liberaliùs in caſtra noſtra permisêre. Vnus tabernaculo Spinolæ, tum fortè abſentis, per tectum illapſus, lecti conopeum abſtulit, & cubiculi menſas duas fruſtatim diſcerpſit: vt lectica olim * Auguſti (tabernaculo egredi ab amico moniti) concurſu hoſtium confoſſa atque lacerata eſt, quaſi ibi cubans remanſiſſet. Vix quatuor dierum interuallo, cùm cognoſcendi loci causâ Spinola equo albo vehens vrbem propiùs adequitaret, altera tormenti maioris pila frenum ei ſub ore equi abrupit, habenis in manu relictis. Vt credi poſſit, aut ſummos belli Duces certiore Numinis in tutelâ eſſe; aut quantò ſibi quiſque in prælio minùs parcit, tantò videri tutiorem. Spinola his periculis defunctus, aduocatas vicinorum auxiliorum copias, diuerſis interni externique valli partibus præſidio diſpoſuit. Anholtinum extremis Barbanconij caſtris, contra Ooſterhautanam planiciem, quà Manſfeldicus impreſſionem facturus credebatur, conſtituit; Beauuoixium nuperis Mauritij caſtris aduerſus Medenſem pagum oppoſuit, additâ legione Cæſariâ Ioannis Comitis Naſſauij: ipſum Comitem planiciei Chamenſi cum alterâ ſuâ Regiâ legione præfecit; Baronem d'Ainſium, Tribuni titulo, cohortibus Germanorum liberis præpoſitum, à tergo Ginekenſium caſtrorum ad tuendam equitatus ſtationem collocauit. Alios alijs locis diſtribuit. Equitum cohortes quotidie è ſtatiuis duplicato numero ad caſtrorum cuſtodiam in ſtationes venire iuſſit, multuſque deinceps ipſe ad nocturnas vigilias fuit, eâ præcipuè parte, quà introrupturum hoſtem arbitra-

Bredanorum vigilum cum noſtris colloquia.

Obſeſſorum maiores ſpiritus noui Imperatoris aduentu.

Spinola bis graui periculo defunctus.

* Suetonius.

Spinola vocatis in caſtra vicinis copijs ſe munit.

arbitrabatur, quò ſe noctibus ſingulis conferebat, donec hoſtis retroceſſit.

Spinola in caſtris indoles.

Numquam aliàs magis ſe viri virtus oſtendit. Nocturnæ vigiliæ, aut interruptus per momenta ſomnus, numquam minùs affabilem effecêre. Experrectus tam vegetis intuebatur oculis, tam præſenti attendebat animo, vt dormiſſe non videretur; ſomnum autem tam citò recuperabat, quàm abrumpebat, adeò curis omnibus procuratis dormiebat ſecurus. In veſtibus, omnis lenocinij negligens, cultuſque incurioſus, intra tamen Ducis dignitatem. Circa cæli temporiſque ſæuitiam indifferens; & ſeu plueret, ſeu ningeret, ſeu gelaret, ſeu venti flarent, ſeu veſper ſeu nox eſſet, ſuſque deque habere. Inedia illi ſæpè duos dies continuata. Lectus frequenter in rhedâ, aut aliquo militis tuguriolo. Nulla cibi, quietis, corporis proprij ratio. Perpetua grauiſſimorum negotiorum moles, & ſupra fidem labor. Animus difficultatum omnium victor, idemque ferè in aduerſis ac proſperis vultus, in cuius pacatâ hilaritate militum ſpes acquieſceret. Conſilia nec ſuo ſolius arbitrio probata, nec alijs communicata quàm neceſſarijs; non impetu præcipitata, ſed quæ morâ valeſcerent. Altum ſecreti ſilentium. Auditio nouorum conſiliorum iuxtà ac diffidentia, tamque lenta credulitas, quàm promptus anxiorum rumuſculorum contemptus: nerui quippe atque artus ſapientiæ ſunt, nihil temerè credere. Prouidere, conſultare, ſcribere, audire, imperare, caſtra obire, inſtar quotidiani luſus. Numquam fatigationem excuſationi obtendere, numquam aditu prohibere. Affabilitas cum milite, cum agreſtibus, cum exploratoribus, incorrupto ſemper Ducis honore; nec niſi quando opus. Cultus & beneficia erga infenſos aut auerſos, qui belli ſtatum potentiâ corrumpere poſſent, maiora quàm in amicos; nullus cetera maleuolentiæ metus.

Tabelliones hoſtium capti.

Capti Hagenſi pago tres, qui faſcem ingentem literarum, tabaci quoque bonum numerum, lagenaſque olei (quo ſcur-

bucum

bucum curaretur) vrbi inferre conabantur: ij literas Henrici Auriaci Principis Iuſtino inſcriptas, in ſiluas abdiderunt, dum caperentur. Quæſtio habita in vnum, qui aliàs ſæpiùs ad vrbem incurioſis vigilijs per caſtra penetrarat. Is tormenti dolore locum literaſque indicauit. Scribebat Iuſtino Henricus:

Litteræ Henrici Naſſauij ad Iuſtinum.

Mauritium fratrem ſuum fato conceſſiſſe. Eius ſe loco " ab Ordinibus fœderatis Imperatorem exercitus creatum eſ- " ſe. Nihil eâ re moraturum ſuppetias: adfore cum exercitu " (qui citiùs parari proficiſciq́ue non potuerat) poſt triduum, " Dungenſi in pago, ſecundo ab vrbe lapide, vnde vel è ſum- " mâ turri videri poſſent: facturum tentaturumq́ue omnia " ſoluendæ obſidionis causâ. Ipſe tantummodò annonam, " admetiendo minuendoq́ue extraheret, ſuorumq́ue patien- " tiam, propoſitis tanti tam lecti exercitus ſtudio ac voluntate, " impendijſq́ue maximis Ordinum, confirmaret. Illud etiam " ad ſe ſcriberet, quâ parte, quid, quáve ratione faciendo, exiſti- " maret Spinolæ caſtra faciliùs perrumpi poſſe; quam in rem " ſibi cum ſuis ſuppetias venturo, ſtudia vireſq́ue omnes con- " iungeret. "

Varius obſeſſorum animus ob litteras acceptas.

Obſeſſi, qui eiuſdem exempli literas perlatas ad ſe clàm acceperant, hiſce nuntijs mixtam dolori voluptatem capiebant. Lætitiam ſuppetiarum nuntius, dolorem Mauritij prudentiſſimi vigilantiſſimiq́ue Principis mors exprimebat. De ſummo turris culmine deſpectus latè in campos erat: viſis auxilijs concurritur; fit gratulatio inter eos, atque omnium

Obſeſſorum inane gaudium.

animi ad ſpem excitantur. Cornu, fugæ noſtræ præcinere ex turri; de mœnibus, vt vaſa colligeremus, vociferari: obliti ſéque & Bredam ſuam prædam nobis eſſe; nos autem, non ipſos, feræ huius venatores. Poſtquam Dungenſi in pago ho-

Henricus Naſſauius fruſtrà Ooſterhautanam turrim tentat.

ſtilis exercitus conſediſſet, Henricus Naſſauius copias ſuas noſtris propiùs admoturus, turrim Ooſterhautanam (quam ad ſpeculæ vſum XXI. Burgundiones noſtri cuſtodiebant) præmiſsâ non paruâ peditum equitúmque manu, adiectis ferue-

feruefactis pilis aliquot, oppugnatum venit. Admonitus eius rei Spinola, Petrum de Aguirre, equitum Præfectum, cum turmâ cognitum præmisit. Is, antecursoribus Henrici Nassauij fugatis, hosti suspicionem iniecit secuturi reliqui equitatus. Intereà Burgundiones cùm recusarent hostis sese arbitrio permittere, priùs omnem fortunam experiri maluerunt, quàm turpem deditionem, nullis pactis conditionibus, facere. Hostes portis tormento suffractis, in turrim templumque iniecto igne (cùm nihil vltrà valerent) re infectâ discessêre. Occisi Burgundiones quinque, septem incendij flammâ perstricti. Ex tanto hostium numero sauciati desideratique multi, quos nostri saxorum iactu obruerant, cùm puluerem, incendij metu, prudenter fastigio turris deuoluissent. Ita minímâ manu non paruus exercitus impeditus. Burgundiones adustis vultibus, cerussâ atque vnguento delibutis, pulchra vulnera ostendentes, stipendij vnius repræsentatione, perpetuoque augmento, à Spinolâ honorati sunt. Optio, qui vigilijs præfuerat, vexillo donatus.

Viginti & vnus Burgundiones hostium bonam manum sustentant, pelluntq́.

Burgundionum virtus præmio ornata.

Obsessi, cùm iam neque literas acciperent, neque tutò tabelliones vrbe egredi possent, hirundinem, quæ schediolum pennis alligatum sublimè perferret, emisêre. Isenburgici milites auem chartæ indicio obseruatam, funiculique impedimento delapsam, capiunt, ac Comiti Isenburgico tradunt, qui deinde Marchioni Spinolæ transmisit. Hæ schedio notæ erant inscriptæ, 1-69-2-76. Iam summa orbe toto exspectatio erat excitata noui alicuius ad Bredam euentus. Huc Regum Principumque omnium oculi, atque arrectæ aures. Ipse Turcarum Imperator pro vario belli exitu hanc illámve in partem videbatur arma conuersurus, aut pacturus pacem. Adeò non de Bredâ, sed de gloriâ, de existimatione, ob submissa tot vndequaque auxilia, iam agi censebatur.

Hirundo cum schedio à Bredanis missa.

Idibus Maij, post noctis medium, Henricus Nassauius fortunam tentaturus, etsi accepto aliquo detrimento, tamen summâ exercitus saluâ, extrema Heydensis pagi castra (loco

Henricus Nassauius castra nostra assultat.

&c ad committendum prælium &c ad introrumpendum ſatis alieno) oppugnari fecit. Aggeribus nempe non amplius duobus Seuenbergano &c Gertrudibergenſi aditus ei patebat. Horum ille fluuio interlabente abſciſſus, valloque paruo extrorſum præſectus; hic foſſis ſiccis duabus interſectus, turri, loricâ, &c caſtello non vulgaris formæ munitus erat. Sed nimirum nouo belli Imperatori, nominis obtinendi cupîdo, fraternæ felicitatis ęmulatione inflammata, iam facilia omnia ex difficillimis redegerat. Hoc igitur aggere Gertrudibergenſi Anglos iaculatores lectiſſimos, haſtatoſque è triarijs ducentos antemittit, omnes cataphractos, ductore Tribuno Verio Anglo, quem ceteri Angli comitabantur, Gallis Germaniſque ſubſequentibus, vt Anglos ſuſtentarent; vniuerſi ad millia ferè VI. Tormenta maiora impedimentaque extremo in agmine erant. Equitatus à latere ſtabat. Ipſe Henricus Naſſauius in medijs copijs conſiſtens, euentum operiebatur. Spinola eius molitionis indicio accepto, celerrimè ad Paulum Ballionium &c Carolum Roma ijs caſtris diſpoſitos miſit admonitum, vt præſtò in armis ſint; hoſtem eâ nocte ijs caſtris, quid poſſit, experturum. Illi ſubitò cuſtodias procubitoreſq; ſtationibus locare, militem diſponere, Duces Pręfectoſque omnes admonere, ceteraque quæ ex vſu ſunt procurare. Primo diei crepuſculo Naſſauius diuerſo planè loco, ad fallendum noſtros, haud procul Balanconij caſtris (quaſi illac perrupturus) ſignis cani iubet. At hoſtile agmen haud procul Ballionij caſtris aberat, vt erat conſtitutum; celeriuſq; ſtationarium militem pro caſtris excubantẽ oppreſſit, quàm renuntiare eius aduentum ſocijs à tergo poſſet. Prouiſum ei vitio fuiſſet, ſi vel eques vnus in aggere excubaſſet; &c fortè poterat tantillâ ſollicitudine vniuerſus ille hoſtium exercitus deleri: certè quin maior fuiſſet clades, dubitari non poteſt. Angli ſummâ animi fortitudine audaciaq; turriculam adorti, ſigniferum cum paucis qui inerant Italis, iactu feruefactarum pilarum depellunt, inque muros connituntur, nonnullis

Angli ducenti triarij impreſſionem ſuſcipiunt.

Ordo agminis hoſtilis.

Spinola prodita hoſtium molitio.

Hoſtium aduentus expectatur.

Malè ſtationi prima prouiſum.

Angli Italos turriculâ depellunt.

lis interfectis. Deinde iaculatoribus post turrim locatis, & in fossas interfecti aggeris ad præeuntium tutelam depressis, brachio castelli foribus obiecto, eâdem audaciâ felicitateque succedunt, signumque ab latere castello inferre, & manibus pedibusq; in muros adniti conantur. Scalæ nimirum & harpagones in extremo agmine ab aurigis metuentibus relicti erant, cùm vehicula promouere non ausi, diffugissent formidine tormentorum. Ita maximarum molitionum successus, res sæpè minimæ interpellant. Tum primùm nos quoq; turriculæ fossarumque nostrarum vitium experti sumus; quibus singulis si seps lignea iusto interuallo fuisset præfixa (vti fuerat constitutum, sed vel obliuione, vel materiæ aduehendæ molestiâ prætermissum) neque hostis tam facilè penetrasset, neque fertefactas pilas adijcere potuisset, neque in fossis ipsis tectus delituisset aduersus torměta. Itali igitur qui Seuenbergani aggeris loriculam tuebantur, admisso iam propiùs hoste dilapsi, vacuam ei munitiunculam reliquêre, cùm tueri, hac parte apertam, omnino non possent. Angli hoc animo certabant, vt nullum aliud tempus ad conandum habituri videretur, neq; res eis vlla deerat ad virtutem. Carolus Roma, Italicæ legionis pro Marchione Campolattario Legatus, suis laborantibus Camillum Phœnicem cum cohorte ad turriculæ tutelam subsidio summittit; sed is fugientes neque aduentu suo confirmare, neque ipse hostium impetum sustinere valuit. Ita quod subsidio additum, periculum augebat. Eum ergo vbi retrocedere, cum ceteris turri depulsis, Carolus Roma videt, scuto redeuntis brachio detracto (quòd ipse eò sine scuto venerat) prior gladio stricto scutoque pugnam inclinatam instaurans, Anglos fortissimè obsistentes Cæsarianâ audaciâ adortus, generosiùs eò vnde venerant submouit, eorumque impetum retardauit. Tum præcipitare sese de turri aceruatim, qui nostros ipsi deiecerant. Alij paulatim se recipere. Multi vulnerati cæsique cadere. Non pauci per paludes salutem sibi exitumque quęrere. Qui signum castel-

Angli loricam præ castelli foribus inuadunt.

Vitium munitionum nostrarum animaduersum.

Itali alij in tempore se recipiunt.

Anglorum pugnantium fortitudo.

Caroli Roma prudentia & illustris audacia facinus.

Hostium clades.

lo inferre conabatur, hastâ traiectus occubuit. Terni, qui proximum castello brachium inuaserant, præ castelli foribus cęsi; ceteri qui cominùs certabant, omnes, traiecto ferè capite ceruicibusque, tam pulchris vulneribus occubuêre, quàm pulchram mortem pugnando fortiter merebātur, digni vincere, nisi nostri etiam fortiùs melioríque pro causâ decertassent. Qui eminùs iaculabantur, tormenti maioris perpetuis ictibus, pleriq; miserandum in modum discerpti laniatique, manibus, pedibus, capitibus mutilabantur; cùm nulla ferè in confertos pila frustrà adijceretur, quæ non plures simul trucidaret, ob varios aggeris flexus. Extremi Angli Gallíque ob angustias aggeris difficilè prioribus succedere, recessu dato, potuêre; ita se constipauerant. Quo animaduerso, nostris eos vrgentibus, illi paulatim sese recepêre. Tantum Henrici Nassauij præsentia valuit, ne terrore periculóve turbarentur. Receptus igitur nihilo perturbatior accessu fuit, ita ordines quisque suos tenuêre. Præ ceteris eo prælio spectata Verij ductoris excellentissima virtus, primo in agmine stantis. Is inter confertas pilas, pari semper animi constantiâ, recedentibus nouos, læsis integros, fessis recentes submittebat, donec certamen lento vtrimque receptu dirimeretur. quamquam apparebat, singulos ita prælijs exercitatos, vt quid fieri oporteret, non minùs commodè ipsi sibi pręscribere, quàm ab alio edoceri possent. Ea pugna (cùm aduersus ventus aliò strepitum omnem tormentorum differret) neque ex vrbe, neq; ex alijs castris nostris, audita est. Nuntij duo, qui ad Spinolam dimissi, aut ignari aut perturbati, proximâ eum statione quot noctibus excubantem pręteruecti, ab Ginekâ, è solito scilicet tabernaculo, accersitum currunt. Ita peracta priùs pugna, quàm vel Spinolæ nuntiata fuit. Manè visa primùm miserandæ cladis facies. Agger constratus cadaueribus, nec aliud quàm mixtus puluere cruor, & infecta sanguine humus: effusa tormentis ilia, præsecta capita, manus pedésque dissipati, & laniata cæsorum corpora, spectaculum horribile quaquà

Eminùs stantium discrimen & strages.

Hostium pulcher receptus.

Verij Angli Tribuni constantia.


Ipsorum triariorum exercitata virtus.

Nuntiorum in quarendo Spinolâ oscitantia.


Quanta in aggere cades.

Miseranda corporum lanima.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



E
G
C
F
F
F
H
F
A
B
F
F
A
A
G
I


A. Agger Gertrudibergensis.
B. Agger Seuenberganus.
C. Statio Caroli Romà.
D. Castra Paulli Ballionij.
E. Castra nupera Mauritij in pago Medensi.
F. Agmen hostile.
G. Stagna palustria.
H. Flumen Merka.
I. Sepes ligneæ quatuor in ipso flumine.
D
H
I
I
H
G

quà viſus erat. Pars in paludes ſe præcipitauerant; pars ſemiuiui grauè ſuſpirabant, qui à noſtris in caſtra ducti, deinde obiêre. Supra ducentos perijſſe, Henrici Principis ad Iuſtinum literis cognitum; cùm quingentos omnino cęſos eorum perfugæ memorarent. Octoni denìve inter eos Centuriones, ordinúmve ductores, alijque natalibus illuſtres. Cecidêre è noſtris non ampliùs duodenis, deníſve quinis. In his peditum Centurio Camillus Phœnix, caſtelli portam defendens. Dexterâ mutilatus, dum fortiſſimè pugnat, Ioannes Baptiſta Vrſinus peditum Præfectus. Ita gens quæ Bredam olim Regi malè ſeruarat, immanè quantum exarſerit animis, vt vitium virtute deleret. Spinola, locis ijs, quæ hoſtis obtinuerat, inſpectis, aggerem loricâ maiore, brachioque obiecto, muniri, tranſuerſis longuriorum ſepibus quaternis diſtingui, vallo laterali ad caſtellum adiecto, ad vſque ripas fluminis diſcludi, & hîc munitione quadratâ alijſque id genus operibus firmari; tormenta denique plura diſponi iuſſit. Vallum præterea vetus, quod myriceto Ooſterhautano obiacebat, longitudine paſſuum ferè bis mille, muro craſſiore firmari aduerſus ictum tormentorum imperauit, nouis munitionibus aggeribuſque nonnullis extrorſum adiectis, veteribuſque mutatis. Atque vt ingens erat id ſpatium (quod Teteringam & Heydam inter vallo erat complexus) multo pedite equitéque expleuit, magnis è ſtramine argilláque ſtationum domicilijs ædificatis. Huius victoriæ nuntios (ne obſeſſi ignorarent) miles noſter ex vicino vndique vallo publicauit, ſuppetias vrbi miſſas, per iocum militarem exclamando. Eâ famâ perculſi obſeſſi, cùm neque ſuppetias aduenire viderent, & Mauritij recèns amiſſi memoria obuerſaretur, & equinâ iam miles veſceretur, & reliqua annona ingraueſceret indies, adeò, vt butyri libra veniret florenis VI. vitulus dies ſeptemdecim natus XLVIII. porcellus CXV. tabaci libra florenis C. quòd granaria & arcæ omnium denuò excuterentur, & quidam qui frumentum compreſſiſſe fuerat

Pauciſſimi è noſtris caſi.


Heydenſia caſtra nouis operibus inſtaurantur.

Planiciei Ooſterhautane proſpectum.


Obſeſſis ſuarum ſuppetiarum cædes nuntiatur.

Annona Bredana grauitas.

Agger Oosterhautanæ planiciei impositus.



Agger Castello Beauuoxiano adiunctus aduersus planiciem Oosterhautanam.



rat compertus, in custodiam esset abstractus: quòd pistoribus sumptuariâ lege interdictum, panem vendere, nisi militiæ Præfectis; Præfectis, nisi selibram panis militi in diem erogare; quòd omnibus bis coctum panem facere (quia integer diutiùs seruari abdíque posset) prohibitum esset: has ob res, effractis pistorum domibus, seditio Gallos Anglósque inter coorta, Tribunos haud parum sollicitos habuit; sed mox auctoribus tribus in vincula abductis, pristináque emendi panis licentiâ concessâ, compressa priùs seditio, quàm vagata fuit. Prætor Præfectíque ceteros hortatu in officio continuêre; vitia præsidij omnia non aliter ac corporis vulnera obtegentes. Post exiguum tamen temporis, cùm granaria horreáque omnia excutere denuò inopia coëgisset, ciuitate in classes triginta duas tributâ (ne vel tuguriolum minimum præteriretur) non ampliùs vicenis quinis mensuris siliginis repertum fuit.

Annonæ parcimonia militem torquere plus nimio incipit.

Seditio cœpta, sopita.

Prætoris Præfectorũq; diligentia.

Exiguum frumenti Bredæ repertum.

Henricus Nassauius, visâ Anglorum clade; perculsus, ancepsque quid ageret; dum suos in castra receptos continet, multosque per fugam amittit, cum suis consilia capit, an iterùm impressionem in nos faceret, an alio, an eodem aditu, an potiùs abstineret. Spinola vicinis copijs omnibus hostem diu noctuque expectans, id simul agebat maximè, vt quid tandem Nassauius statuisset, indicio assequeretur. Tabellio ille noster dexterrimus, visus rei huic opportunus, nisi quòd Henrico Nassauio non item vt Mauritio esset notus. Igitur arte in notitiam ductus. Cùm in castris nostris clàm retineretur, eius vxor ad Henricum Nassauium in castra profecta, de morbo, quem maritus suus ferendis per hibernas aquas Mauritij ad Bredam literis, contraxisset, multa cum eo questa, reliquum promissi præmij, sed insoluti, exegit. Ille spe fidi tabellionis nanciscendi lætus, liberaliùs etiam soluturum recepit, si modò suas vnas, vt plures fratris, in vrbem maritus ferre velit. Vxor mariti morbum causari, & periculum. Tandem flecti vxor haud inuita, & inuitè tamen operam

Henrici Nassauij fluctuatio.

Spinolæ indefessa vigilantia.

Vxor rusticani tabellionis fraudem orditur, & Henricum Nassauium circumuenit.

ram ad perſuadendum polliceri. Abit vxor: redit maritus ſemiclaudus, quaſi pedibus hiberno gelu debilitatis. Paciſcitur cum homine, vt putabat, fido, Henricus Naſſauius, ſuaſque Iuſtino in vrbem perferendas tradit. Tabellio rem longè, vt aiebat, difficillimam tentare pollicetur, acceptiſque cum ſtipendio literis diſcedit. Acceptas ſtatim Spinolæ in caſtra adfert, perpetuoque ſtipendio donatus abit.

Argumentum literarum Henrici Naſſauij ad Iuſtinum.

Monebat ijs literis Iuſtinum Henricus acceptæ nuper « cladis, dum tentaret Heydenſia caſtra. Ex eo die, firmiore « etiam vndequaque vallo nos videri cinctos, neque perrum- « pi poſſe. Meminiſſe quàm in paucos dies obſeſſis iam ſuppe- « teret annona. Quare ne temporibus excluſus dedecoris ali- « quid cum ſocijs accipere, prolatando, tandem cogatur, tem- « peſtiuè prouideret, neque nimiâ ſuâ pertinaciâ, omnium for- « tunas perturbari vellet. Indicium autem faceret hiſce literis « acceptis, exploſo ſub medium noctis triplici tormento, igni- « buſque poſt horæ interuallum, ſignificatione de turri factâ, « quot dierum cibaria etiamnum ſupereſſent obſeſſis. Securus « intereà, ſi qua ſe obtulerit ferendæ opis occaſio, eam prom- « ptiſſimè abs ſe atque à toto exercitu arreptum iri. Priùs in « vrbem aduenerat aliud earumdem literarum exemplum, quàm aut Spinola ſuum accepiſſet, aut notis quibus literæ ſcriptæ eſſent, explicatis, eas intellexiſſet. Eques quidam Comitis Styrum, viarum omnium peritiſſimus, claro die per caſtra noſtra in vrbem euaſerat, quem aduentantem Bredani nouem diſploſionibus tormentorum læti accepêre. Id igitur nocturnum indicium, præmiſſo trium tormentorum ſono, priùs factum erat, quàm quid eo ſignificaretur, nos certum ſcire poſſemus, etiamſi ſuſpicaremur. Vndecies ignem ediderant, dierum totidem annonam ſupereſſe indicantes.

Henrici Naſſauij litera per caſtra noſtra à Ioanne Hannen claro die Breda inferuntur.

Bredani ex ſummâ turri ignibus ſignificationem faciunt, quot dies ſe ſuſtinere poſsint.

In caſtra Spinola venit Sereniſsimus VVolfgangus VVilhelmus, Bauaria, Iulia, Cliuia, Montium Dux.

Per eos dies ex Hiſpaniâ redux in caſtra videndi ſtudio venit Sereniſſimus VVolfgangus VVilhelmus, Bauariæ, Iuliç, Cliuiæ, Montium Dux. Occurrit aduentanti Spinola procul caſtris, proprioque diſcedens tabernaculo, Heroëm tantum,

tum,quantâ potuit maximâ voluntatis significatione, accepit. Gratulatum ei machinarum omnium festo sono, ceteroque militaris lætitiæ plausu. Alijs deinde diebus opera omnia circumductus,obsidij magnitudinem firmitatemque est admiratus. Narrabat, sibi dixisse Galliæ Regem (cùm per eos redux haberet iter) credere se non posse, Bredam à Spinolâ eâ obsidione occupatum iri. Multa tamen id temporis felicem nobis obsidij exitum pollicebantur. Quotidiana Gallorum à Mansfeldico fuga,hostis in subueniendo mora, annonæ intra vrbem penuria, obsessorum cum morbis conflictatio,medicamentorum caritas tanta, vt tabaci illati, quantum alibi constiterat scutis non amplius quatuor, venierit in vrbe florenis mille ducentis; quo remedio scilicet aduersus scurbuci morbum vtebantur. Octidui prætereà interuallo hostilibus castris abacti equi supra sexcentos,vt malè custoditi pascebantur. Hanc prædam talione redhibere cùm sperasset Pro-præfectus equitum Marquettæ Dominus, sexaginta octo cohortium equestrium numero commeatum nostrum improuisò aggredi parat. Sex igitur cohortibus Randvvickio Duce præmissis, ceteris in insidiàs abditis, vectores (qui incomitati aliud contra Bergij imperia iter inierant) inuadere,equos abigere, carros sarcinasque diripere,annonam effundere. Henricus Bergius, periculorum prouidus, etsi huius profectionis ignarus, iamdudum cohortes equestres aliquot excubare iusserat ad omnes viarum aditus, ne quà hostes improuisò introrumpere possent. Quod vt certiùs efficeret, inprimis grauissimè sanxerat, ne quisquã Ductorum, quando excubandum esset, à cohorte abesset. Prætereà, vti quàm longissimè ab castris, cohors stationem collocaret. Deinde, vti procubitores aliquot bono ab statione interuallo cohortem præirent. Denique, vt stationarius eques aliquis ante procubitores vigilaret ad captandum hostis aduentum: quo audito, ille signum ederet, reciperetque sese ad procubitores. Hi,visâ maiore manu,retrocederent ad

Opinio Galliæ Regis de obsidione Bredanâ.

Ingens tabaci pretium.

Tentatur ab hoste commeatus noster.

Circumspecta certaque stationum collocandarum ratio à Bergio præscripta.

cohortis reliquæ ſtationem. Cohors arma expediret, pugnarétque, niſi impar numero foret; tum ipſa demum ad caſtra rediret. Hoc modo nimirum & retardari hoſtis aduentus, & cuſtodiæ, etſi procul poſitæ, ſine periculo ſeſe recipere, & caſtra tota armari in tempore poſſe videbantur. Fortè igitur eius diei cuſtodiæ obuenerant Hermanno Comiti Bergio, Henrici Bergij filio, iuueni animi magni, patriæque virtutis imitatori. Is audito (vt propè aderat) tumultu, collectáque non magnâ ſuorum manu, interritus inuolat in plenum ſpoliantium agmen, ſemel, iterùm per medios vectus, ſternit nonnullos, perturbat terrétque ceteros. Hos in fugam agit. Hi alios de totius equitatus noſtri aduentu mọnent. Ita præoccupatus eorum animus, timore & fugâ primorum, nihil de reſiſtendo cogitabat. Equos dimittunt, ſarcinas proijciunt, relictâ prædâ diſcedunt. Ne vnum ergo commeatum hoſtes tantis aduocatis copijs, tam longo obſidionis tempore, tam iniquis longíſque itineribus, vmquam intercipere valuêre. Henricus Naſſauius occaſionum haud ſegnis, ne ſtudij quidquam (vti dixerat) prætermitteret ad ſoluendam obſidionem, lixas ruſticanóſque vernas aliquot, nummis pollicitationibúſque corruptos, ad ignem caſtris noſtris, armamentarioque, ſi poſſent, inferendum ſubmiſit. Spinola, incendiarijs aliquot deprehenſis, ne quid detrimenti ſua caſtra acciperent, prouidit.

Hermanni Bergij Comitis virtus.

Hoſtilis equitatus cõſternatio ex paucorum fugâ.

Ne vnus quidẽ commeatus ab hoſte interceptus.

Henricus Naſſauius incendia molitur.

Incendiarij capti.

Henricus Naſſauius, rebus omnibus fruſtrà tentatis, caſtriſque Dungenſi in pago ſuccenſis, VI. Kalendas Iunias in Langeſtratam noctu retroceſſit. Receptum tot nominibus obſcurum, noctis ipſius tempeſtas, ventorum turbine, denſiſſimóque imbre inſigniuit. Miles vix è veſtigio progredi, tormenta in luto hærere, ordines turbari.

Henricus Naſſauius deſperatâ obſidionis ſolutione diſcedit.

Spinola, diſceſſu accepto, Iuſtinum Naſſauium Henrici Bergij literis (quòd is & Naſſauijs ſanguine iunctus eſſet, & patrios gentis mores linguámque calleret) monendum duxit, quid de ſuorum auxilijs iam retrogreſſis ſperare deberet.

Henricus Bergius nomine Spinolæ deditionem petit.

Scribit

„ Scribit igitur Iuſtino Bergius, promittítque Spinolæ verbis; „ effecturum ſe vt honeſtis conditionibus in deditionem ac- „ cipiantur, ſi de compoſitione agere velint: quare ad certum „ tempus locumque, ſecum collocuturus, ex vrbe prodiret.

Iuſtinus (ne feſtinando quidquam peccaret in famam) „ corniculario remiſſo reſpondet: De auxiliorum ſuppetijs „ quid eſſet, à triduo ſe Henrici Naſſauij literis eſſe edoctum. „ Si quid amplius ipſe ſciret, id literis indicare ne grauaretur; ſe „ febri affectum prodire non poſſe. Spinola poſtridie literas ipſas Henrici Naſſauij autographas, notis (vt erant) perplexas, alterumque earum exemplum literis perſcriptum, Iuſtino mittendum, Henrico Bergio dedit, ne deditionem proferret. Iuſtinus cognito, quòd res omnes ſuæ ſuorumque „ paterent; Henrico Bergio, pro eius in ſe voluntate, gratias „ egit, promiſitque cum Spinolâ ſe compoſiturum, ſi is mo- „ dò honeſtis conditionibus, quibus tot fortes ſodales ſui ci- „ ueſque digni haud dubiè videbantur (quodque ipſe verbis „ eius ſcripſerat) paciſci decreuiſſet. Henricus Bergius impe- „ tratis Spinolæ literis, quibus Iuſtino, militibus, ciuibuſque „ Bredanis honeſtas deditionis conditiones pollicebatur, ſi modò omni præciſâ morâ tractationem ordirentur, neque „ diem poſtularent longiorem; eas ſtatim Iuſtino miſit: affir- „ mans (vt ijſdem literis ſcribebatur) arbitrio ſuo rerum om- „ nium agendarum licentiam eſſe permiſſam; quare poſtridie „ obuios ex vrbe mitteret, itineris medio, ſuas noſtraſque mu- „ nitiones inter, qui, quas ipſe peteret conditiones, ſcripto of- „ ferrent; ſe contrà eodem loci ex caſtris eſſe conuenturum.

Iuſtini Naſſauij reſponſum.

Spinola ipſas quas interceperat literas Iuſtino Naſſauio mittendas, Henrico Bergio dat.

Iuſtinus deditionem pollicetur.

Spinola Bergium promiſſo liberat, & honeſtas deditionis conditiones offert.

Spinola Bergio rerum omnium agendarum licentiam permittit.

Ad id vſque temporis interioris valli noſtri circulus perpetuo nautarum militumque ſtudio perficiebatur, nec multum operis addendum reſtabat, nondum plenè perfecto; cùm operæ Comitem Bergium fortè conſpicatæ, militari facetiâ eum appellant; ecquid vallo perficiundo opus ſit, ſi iam de compoſitione tractetur. Ille deſinere eos vix iuſſerat, cùm ligones abijciunt, exilientes lætitijs; ad otium haud pauſo

Miles à vallo perficiendo dimiſſus.

Literis Spinolæ & Bergij lectis, decernitur cõponendi locus & tempus.

quàm ad laborem paratiores. Iuſtinus has vtraſque Spinolæ & Bergij acceptas, Tribunis in belli concilium vocatis, proponit. Reſpondendum decernitur: Placuiſſe, quæ Spinola, quæ Bergius pollicentur. Quo Senatuſconſulto concepto, miſſis literis rogatur Henricus Bergius, poſtridie poſt « ſeptimam è caſtris prodire, miſſóque corniculario, de aduen- « tus ſui loco monere; adfore ex vrbe, qui conditiones publico « nomine petituri ſint. «

Henricus Bergius è caſtris prodit in colloquium cum obſeſsis.

Poſtridie, qui vltimus Maij dies erat, Henricus Bergius multâ Nobilitate ſtipatus, ad horam dictam è caſtris prodit, miſſoque buccinatore, Iuſtinum de aduentu ſuo docet. Egredientibus ex vrbe, quibuſcum tractandum erat, Nobilitatem eminùs reſiſtere Comes Bergius iubet, ſolóque Regis Marchioníſque Spinolæ Secretario Routartio comitatus procedit. Medio itineris remanentem Legati acceſſêre, Protribunus De la Caze, militari cuſtodiæ Principis Præfectus de Dyden, Centurio Zouche, Prætor Aertſenius, Conſul, paucique Senatores. Acceſſit denique Tribunus Hauteriuius. Hi literis fiduciæ datis, pactionis conditiones ſcripto conceptas obtulêre. De ijs vltrò citroque actum, nec niſi capita duo reiectanea fuere, de tertio dubitatum. Conuentu ſoluto, in tertiam pomeridianam colloquium reiectum. De prandio noſtri intra extimam munitionem ſub tabernaculum eâ causâ expanſum (ſpectantibus confertim omnibus de muro) admiſſi. Hîc pertractari compoſitio cœpta, negatumque quod diſplicuerat manè: de Religionis nimirum libertate hæreticis ciuibus concedendâ, eorumque cadaueribus in cœmeterio ſepeliendis. Diſputatum deinde de tormentis maioribus quatuor, mortarijſque æneis duobus, vnà cum præſidio educendis. Id parum obſeſſis, nimium Henrico Bergio viſum.

Obſeſſorum Legati ex vrbe obuiàm Bergio prodeunt.

Offerunt obſeſsi pactionis conditiones, quam petũt.

Reditur in ſecundum colloquium.

Spinola & Bergius ad petitas conditiones accedunt, duabus tantùm negatis.

Marchionis Spinolæ in deditos liberalitas.

Igitur Routartius ad Spinolam allegatus eſt, rogatum quid cenſeret. Reſpondit Spinola, nec tantillum ſe negare velle. Obſeſſi reſponſo læti, gratias egêre. Tum rebus eò addu-

adductis, merenda illata eſt. Mox Iuſtinus Naſſauius vrbi Præfectus, ceteriq́ue Tribuni, præcipuaq́ue quæ inerat Nobilitas, aduenêre. Noſtri etiam, qui magno numero haud procul aberant, congreſſi, inuicem lætas miſcuêre gratulationes.

Obſeſſorum noſtrorumq́ mutua gratulationes.

Kalendis Iunijs miſſus ad Spinolam Præfectus militari cuſtodiæ Principis de Dyden, cum gemino pactionis exemplo, vt prior vtrique ſignum ſuum Spinola inſcriberet, referretq́ue mox ipſe alterum, à Iuſtino ſignandum, remittendumq́ue, altero retento. Tum currus MCC. naueſq́ue LX. petita ad ægros ſanoſq́ue, cum vaſis, vniuerſaq́ue ſupellectili exportandos. Currus conceſſi plures petitis, naueſq́ue quotquot Bredano in flumine erant. Obſides deinde vtrimque dati. A Bredanis, Protribunus De la Caze, & peditum Anglorum Centurio Ogle. A Spinolâ, Optio Franciſcus Loſanus, & Germanicæ cohortis Præfectus Carolus Philippus le Comte. Hæc autem capita fuêre pactionis ſcripto editæ, quâ Regi Breda dedita eſt:

Exemplum conditionum ſignandum Spinolæ allatum.

Currus naueſq́ conceſſa ad ægros & ſupellectilem euehendam.

Obſides dati.

I.

BREDAE Gubernator, Tribuni, Præfecti, Magiſtratuſq́ue reliqui militares, milites, ſeu equo ſeu pedibus mereant, vrbe egredi permittuntor. Conſueto militiæ ritu armatis, inq́ue ordines tributis, diſcedendi poteſtas eſto. Pedites explicatis vexillis, pulſatis conſueto ſonò tympanis, pleno armorum apparatu, pilis in os inſertis, incendiarijs funibus vtrimque ardentibus, baltheis à puluere, fomite incendiario, glandiumq́ue numerò inſtructis: equites clangente tubarum ære, ſignis euolutis, armati, vehenteſq́ue (quo more in hoſtem tendere ſolent) abeunto. Nemo ſtipendiariorum (cuiuſcumq; fuerit gentis) vllâ omnino de causâ (ne quidem ſtipendij olim Hiſpano Regi aut Archiducibus aut Infanti Iſabellæ facti) retinetor. Breuiſſimo commodiſſimóque itinere Gertrudibergam in Hollandiam, abſq; omni interpellatione,

Capita pactionis petita à Gubernatore præſidioq́ Bredano.

latione, maleficio, iniuriaque, incolumi vitâ, corpore, armis, equis, vasis, sarcinisque (eâ fidei pactione, quâ conueniet) omnes proficiscuntor. Ampliùs, educendi vxores, liberos, familiam, supellectilem, vasa, equos, carros, arma militum seu mortuorum, seu ægrorum, seu fugitiuorum, nullâ inspectionis (per quemcumque prætextum admittendæ) obligatione, facultas esto.

II.

Verbi-præcones, recognitores, publicani, eorumque scribæ, Architecti, honorarij rei machinariæ administri, Iudex Senatus militaris, artifices incendiorum, Præfectus cunicu-lariorum, iaculatores tormentarij, legionum cohortiumque chirurgi, opifices machinis addicti, nautæ, tabelliones, operum curatores, latrunculatores, fossores cunicularij, fabri lignarij ac ferrarij, annonæ structores, aliíque munitionum machinarúmque opifices omnes, eorum vxores, liberi, serui, equi, arma, superiore capite continentor, eiúsque gratiâ fruuntor.

III.

Naues quæcumque Bredæ in præsentiâ reperientur, tam à Tribunis militaribus quàm alijs appulsæ, cum omnibus armamentis in Hollandiam dimittuntor. Et quidem à nautis gubernantor, onerantórque tam eorum familijs quàm re familiari, armis, supellectile, impedimentis quoque Tribunorum, Præfectorum, aliorúmque Magistratuum militarium. Ægris prætereà, eorúmque curatoribus, reliquísque quibus per eam opportunitatem in Hollandiam nauigandi fuerit libido, complentor. Eâ re fluminis interclusi viæ patefiunto; in dies deinde duodenos, à primo signatæ pactionis, priùs quàm præsidium excedat, patefactæ seruantor; vt tutò dictæ naues cum oneribus, ceterísque quæ inerunt rebus, iter habeant, dum ad reliquas bellicas applicuerint in Blaec, vnde sese, quò visum fuerit, recipiant, vtpote quæ iure mobilium rerum accensę dominis, quorum erunt, cedere debeant. Concesso duodecim dierum interuallo, naues ab omni iniuriâ,

riâ, laceſſitione, noxaque immunes ſunto; neque à curſu ſuo aut illæ aut earum vectores auertuntor aut interpellantor. Excutere eas quocumque demum prætextu, nefas eſto. Si autem, vel quia flumen non fuiſſet patefactum, vel quia nauigari nequijſſet, earum iter fuerit retardatum, nihil eius moræ de conceſſo duodenûm dierum ſpatio præſecator; ſed id omne vacuum, liberumque eis cedito; vt nautæ, alijque ſeu flumine ſeu propter flumen, (quibus id commodius foret) iter tutò capeſſant. Si verò ex his, quædam, eorum qui Bredæ remanere vellent, eſſent naues; eæ nihilominùs ad exportandos vectores impedimentaque præſidij, quàm mox ad dominos reuerſuræ, commodantor.

I V.

Carrorum æquus numerus (quem Bredæ Gubernator poſtulabit) ad euehendas Gertrudibergam ſuas, Tribunorum, Centurionum, Magiſtratuum militarium, reliquorumque præſidiariorum ſarcinas ac vaſa (quique inde in Ginekenſia caſtra, fidei publicæ interpoſitione, reducetur) à Marchione Spinolâ ſubminiſtrator.

V.

Gubernatori fas eſto exportare vnà cum præſidio machinas quaternas, & mortaria duo, quorum ei eligendorum optio data fuerit, adiuncto eorum apparatu, pilarumque ac pulueris numero tanto, quanto ad iaculandum ſexies opus cuique erit. Eas autem machinas cum omni curruli vectorioque inſtrumento educet aut terrâ aut flumine, arbitratu commodoque ſuo. Has ob res Marchio Spinola equos currules aliôſque vnà cum curribus ductoribúſque (ſi fuerit à Gubernatore rogatus) ad trahendas machinas, mortaria currúſque machinario inſtrumento addictos, commodato.

V I.

Auriaco Principi fas eſto, res mobiles omnes, quas in arce aut vrbe habuerit, eum in locum regionémve, quò aut ipſe aut alius (cui earum curandarum cautio erit) voluerint, expor-

exportare. Aut eæ in Bredanâ arce tantiſper aſſeruantor, dum de ijs Auriacus Princeps conſtituerit, interuallo minimùm ſemeſtri. Tum verò nauibus nautiſque qui ex Hollandiâ ad eas euehendas venerint, liber commeatus, nullo oblato impedimento, præſtator.

VII.

Si fortè nonnulli eorum, qui duobus prioribus capitibus continentur, vrbe egredi, vnà cum præſidio, ob inualetudinem nequirent, ijs, donec vires valetudinemque inſtaurarint, remanendi cum vxoribus, familiâ, ſeruitijſque ſine nòxâ in vrbe facultas eſto. Tum primo quoque tempore, tabulæ pacati certique commeatus, quibus tuti quò libuerit proficiſcantur, ijs dantor.

VIII.

Nullus militaris Magiſtratus, aut miles, aut cohorti Præfectus, ſiue is vnà cum præſidio, ſiue poſt reparatas à morbo vires diſcedere pararit (perinde ac nullus ſuperiorum pactionum capitibus comprehenſus) retineri valeto, ſed dictorum capitum gratiâ quiſque liber abito. Creditores autem ſolis debitorum nominibus, aut æquis ſolutionum ſtipulationibus contenti acquieſcunto.

IX.

Gubernator, Præfecti, Magiſtratus militares, milites iam dictis capitibus contenti, aut alij quicumque ſtipendijs ſeruitijſque fœderatorum Ordinum aſtricti, qui Bredæ habuerint domicilia, fundos, hereditates aut res mobiles (comprehẽſis etiam Præfectis, adminiſtris, equitibus cohortium Comitis Culenburgici, Comitis Styrum, & Domini à S. Martino; vti & viduis & liberis quoque earumdem aliarumque cohortium quæ abhinc biennio vrbi fuerint præſidio diſpoſitæ) annuum & ſemeſtre ſpatium habento, numeratum à menſe poſt ſignata pacta, quo res ſuas pro placito exportent, vendant, oppignerent, alienent, permutent, tractent iure moreque conſueto. Præterea eo toto temporis interuallo fruun-

fruuntor pensionum vectigalibus, elocationum mercedibus, hereditatum suarum fructibus reliquis, partis aut pariundis: ad summam, rebus omnibus intra vrbem ad eos attinẽtibus.

X.

Milites seu præsidiarij seu castrenses (qui etiamnum in vrbe aut in castris capti detinentur) quamprimùm à conditionibus signatis, nullâ lytri mercede, solâ expensorum æstimatione ex conuentis factâ, remittuntor.

X I.

In præsidiarios nulla de spolijs actio esto repetundarum, sed præda omnis eorum instrumento familiari accensetor.

X I I.

Post compositionis capita signata, Gubernatori Bredano certum hominem, qui fide publicâ commeet, ad Auriacum Principem allegare fas esto.

X I I I.

Conditionibus latis, induciæ sunto. vtrimque tamen suis quisque munitionibus, vti antè, sese contineto, neque diu noctúve appropinquandi ius esto.

X I V.

Priùs obsides bini dantor quàm præsidium excedat. Ij cateruas comitantor vsque Gertrudibergam, ibidemque duodenûm dierum spatio, quo flumen patefactum iri, pactaque explenda conuênit, remanento. Eo spatio lapso, si nihil fuerit pactorum violatum, reuertuntor.

X V.

Pactione factâ obsides vtrimque numero conditioneque pares traduntor, nostrique nobis, vrbe deditâ, restituuntor.

X V I.

Amplius etiam concessum, vt obsides è præsidio Bredano dati, quàm citò præsidium fuerit deductum, remittantur, ad iter vnà cum præsidio faciundum.

X V I I.

Gubernator pręsidiumq; Bredense spondẽt, Bredâ se egres-

 suros

ſuros die Iouis proximo, quinto vertentis Iunij, benè manè.

Scriptum in imâ cerâ.

Nos Iuſtinus Naſſauius promittimus effectum daturos, vt ſeruentur ea quæ ſuperioribus pactionis capitibus continentur hactenus, quatenus ad nos ſpectant. Quâ fide, de Tribunorum militariſque Senatus ſententiâ, eam hodie ſignauimus, poſtridie Kalendas Iunias, M. DC. XXV.

Iuſtinus Naſſauius.

I.

Capita compoſitionis petita à Senatu populoq; Bredano.

VENIA & amneſtia omnium quæ admiſſa fuerint ab ciuibus & inquilinis Bredenſibus, cuiuſcumque ſint conditionis (ſeu ante ſeu poſt vrbis receptionem anno M. D. XC. ea admiſſa ſint) promittitor, præſtatorque. In nullum quæritor, nullíve malum conciſcitor, ne prætextu quidem læſę Maieſtatis, alteriúſve cuiuſcumque noxæ.

I I.

Ciuibus & inquilinis omnibus, tam abſentibus quàm pręſentibus, cuiuſcumque conditionis, ſiue ij obnoxij ſint ſeruituti ſacramentóve Ordinum, vel Auriaci Principis, vel ciuitatis, ſiue ſint immunes; vrbem biennio proximo inhabitandi, vitâ incolumi, nullâ in eorum Religionem inſtitutâ quæſtione, nullâ in alia ſacra iurandi lege (dum ipſi vitam modeſtè procul omni offenſâ degant) poteſtas eſto. Vt eo biennij ſpatio deliberent, placeátne domicilium figere, an migrare. Quòd ſi migrare decreuerint, arbitratu ſuo abire permittuntor. Bonorum quoque ſuorum liberè potiuntor, vt ea aut efferant, vendant, alienent, obærent, oppignerent pro voluntate; aut recipienda adminiſtrandaque redemptoribus locent. Eorum verò fortunæ, qui intra extráve vrbem teſtati aut inteſtati diem obierint, vel heredibus inſtitutis, vel proximis ſanguine obueniunto.

I I I.

Cuilibet ciuium inquilinorumque (ſeu iuramento ſeruituti-

uitutique fuerit obnoxius, seu liber) cui post hæc pacta conuenta placuerit aut migrandi domicilij aut alterius rei causâ vrbe excedere, id ei facere quocumque tempore, pro libitu, quà terrâ quà aquâ, cum vxore, liberis, familiâ, supellectile, mercibus, alijsque rebus mobilibus, liceto, nullo quamcumque in speciem oblato impedimento, nullâ aliâ atque harumce pactionum auctoritate. Ijs verò qui voluerint aut domicilium figere, aut recipere sese in Regna, regiones, Prouincias, loca, vel neutrarum partium, vel tributis obnoxia, perpetuò absque omni molestiâ commeandi, mercatus negotiorúmve causâ, per vrbes, locaque Hispano Regi subdita, deque rebus suis mobilibus alijsque statuendi arbitratu bonoque suo ius fasque esto. Catholicis autem ad reuisendas occupandasque suas intra vrbem domos, nullo alio atque præsentium conditionum præsidio opus sit.

IV.

Qui rerum curandarum causâ in fœderatas Prouincias proficisci voluerint, ijs quater quotannis eò contendendi, (præmonito Gubernatore, à quo commeandi auctoritatem necessariò accipient) copia fiat; quam is, nisi iustâ causâ, recusare non valeto. Ij deinde redeunto intra spatium biennij concessi ab hisce pactionibus ratis; vt aut pergant vrbem deinceps incolere, aut domicilium locis immunibus vectigalibúsve ponere. His autem in locis non aliter atque alij iam dicti, & dictâ commeandi facultate, & reliquo quocumque harumce pactionum fructu gaudento.

V.

Verbi-præconibus liberè discedendi cum vxoribus, liberis, familiâ, fortunis rebusque mobilibus, absque omni maleficio damnóve, cautio esto. Has ob res carri ijs aut naues, spatiumque iustum rebus suis procurandis præstantor.

VI.

Qui post vrbem interceptam, aut Seniorum, aut Diaconorum ministeria administrarint, nec non ij qui munus ali-

quod Ecclesiasticum gesserint, hac iuxtà compositione comprehenduntor.

VII.

Administri quoque, actores, substituti, Quæstores, alijque cùm ciues tum inquilini, qui aut ærarium, aut rationes, aut stipendiorum numerationem, aut aliud munus quodpiam tractarint, hisce conditionibus continentor. Libera autem cum rebus suis omnibus, cum supellectili & chartaceis instrumentis, excedendi copia, iusque vtendi pręttereà conuentionis huius præsidio, perinde ac ceteris, esto.

VIII.

Eâdem immunitate, quotquot in vrbe sunt nautæ, qui suas hîc naues habent, quas & deducere secum poterunt, fruuntor.

IX.

Si vrbi à nauibus curribusque, ad commodandum ciuibus & inquilinis (qui vnà cum rebus suis supellectilique discedere vellent) haud satis esset prouisum; eis intra concessi biennij spatium, alias eâ causâ naues currusque ex Hollandiâ aut aliunde accersere (qui deinde reuerti liberè harumce tabularum licentiâ possint) fas esto.

X.

Ciuibus huiusque vrbis inquilinis, nullæ indictiones oneráve ampliùs ijs quæ per vniuersam Brabantiam minoribus maioribusque vrbibus ex æquo imposita sunt, iniunguntor.

XI.

Præsidium cùm equestre tum pedestre, optimâ quâ fieri poterit ratione, quantoque minimo ciuium damno, per vrbem tribuitor.

XII.

Hac item conuentione continentor, quicumque absuerint aut suâ aut vrbis causâ; vti liberè in vrbem redire, pactisque conuentis gaudere possint. Agrestes quoque qui in vrbem perfugêre, rus sese recipere tutò possunto.

Qui

XIII.

Qui aliorum ſacrorum cultor, intra pacti biennij tempus, diem in hac vrbe clauſerit, honorato loco terræ mandator in horto aliquo vrbano; aut pro illius conſanguineorúmque arbitrio cadauer extra vrbem effertor.

XIV.

Senatuſconſulta, decretáq; omnia capitalis ſubſellij, quibus interceſſum hucuſque non fuit, rata ſunto, & effecta dantor.

XV.

Quicumque antehac vrbi pecuniam mutuam dederint, & mutuum repetere, & verſuram redhibere poſſunto. Quotannis verò à Senatu, quibus reditus pendendi ſunt, ſui fructus, eorúmque reliqua penſitabuntur.

Hæc omnia quæcumque hoc fœdere ſancta atque perſcripta fuêre; aſſenſa, rata, atque conuenta ab Marchione Spinolâ, vrbíſque Legatis, ſignata ſunt; promittente eodem Marchione, ſe operam daturum vti ſanciãtur publicis quoq; Sereniſſ. Hiſpaniarum Infantis tabulis, maiore eius ſigillo ſignatis, intra dies quindecim. Actum 11. Iunij, M. DC. XXV.

Quorumdã obtrectatio aduerſus clementiam Spinolæ.

Multi, quibus pronum erat ad aſperiora ingenium, auditis tam bonis lenibúſque conditionibus, mirari Spinolæ aduerſus hoſtem clementiam; nonnulli remiſſionem etiam criminari. Aiebant, oportuiſſe grauiùs decernere, & aut ſub haſtam obſeſſos mitti, aut non niſi armis traditis eos accipi in deditionem debuiſſe, qui præfractâ ſuâ pertinaciâ eò ſe periculi adduxiſſent, vt fame etiam enecti fuiſſent, ſi vel biduo ampliùs fuiſſent incluſi. Et cur vltrò honeſtarum ijs conditionum optio offerretur, quibus vel conceſſa vita, beneficij nimij loco eſſe deberet? Saltem expectandum tantiſper à Spinolâ fuiſſe, dum id eis eueniſſet, quod plerumque hominibus nimiâ pertinaciâ accidere ſolet; vti eò recurrant, atque id cupidiſſimè petant, quod priùs contempſerunt. Oraſſent nimirum priùs ipſi deditionem, quàm vltrò eis fuiſſet oblata.

Ciuium remanentium querela.

Deinde, cur egredi priùs deterior pars ciuium, incolumi ſu-

pellectili impedimentisque, finatur, quàm ea pecunia ab Senatu Catholicis remanentibus esset soluta, quæ ad exstruenda opera, numerandaque stipendia, publico communique fuerat sacramento extorta? Ita nimirum sapienter queri videbantur, qui priuatis rationibus assuefacti, res etiam Imperij maximas eodem pede metiri consueuêre; nescientes Principum diuersam esse sortem, quibus præcipua rerum, ad famam dirigenda. At Spinola plus sapere eos intelligens qui leniùs seuiunt, clementiæque famam seueritatis nomine esse opportuniorem, cùm quantum publici interesset, tam diu districta ad Bredam Regis arma quàm citissimè expedire (ob Gallicos, Italicos, Germanicos, Danicosque motus) non ignoraret; maiore in lucro minimum etiam temporis compendium ponebat, quàm Bredæ totius non magna spolia, aut tantillum hostium (qui fortiter sese defenderant) pudorem; veteris illius memor, *Esse vbi damnum facere, quàm lucrum, præstet.* Et verò plus etiam Regis sui (quem hoc loco gerebat) Maiestati clementiæque, quàm gloriæ suę aut vindictæ consulendum existimabat. Sordidum, de tanto relicti apparatus numero, nec tantillum abeuntibus, vel ad diuturnæ patientiæ suæ laudem, testimoniumque virtutis, concedi. Supererant quippe in vrbe tormenta maiora XLIII. fistulæ (quas musquetas vocant) CCCCL. de quibus CL. efferri quoque, fractarum loco, permissæ. Minores fistulæ (seu arcabusij) CCC. pulueris pyrei pondo millia CXXXV. funium ad incendendum puluerem, libræ millies XXXIV. pilarum maiorum millia II. mediocrium numerus ingens: plumbearum glandium libræ millies XL. matriculæ ad faciendas è plumbo glandes, XV. sphæræ minores è ferro excauato, ad incendia præparatæ, bis mille & centum; maiores (quibus bombarum nomen dedêre) CCCXLIV. circuli incendio inferendo facti CL. pilæ ad incendenda opera XL. salis vasa C. picis, nitri, sulfuris, bituminis, vasa XXX. clauorum grandium vasa VI. pinnæ ferreæ oblongæ vndecies mille:

Alia priuatorum, alia Principum iudicia.

Clementia nomen huic tempori opportunius.

Plus lucri à compendio periculosi temporis quàm spolijs hostium aut dedecore.

Summo Duci maiestatis ratio habenda pra priuatâ gloriâ.

Sordes auaritia Imperatori vitanda.

Apparatus belli in deditâ vrbe reliquus.

mille: ſtipitum, pinnis geminis armatorum, numerus immenſus: ligonum millia IV. vnci ſeu roſtra ad aperiendum humum, M. DC. vehicula, quæ manu truduntur ad moliendam terram, M. ſcaphæ v. rudentum volumina VI. harpagones XL. equina iuga CXXX. funium currulium paria XC. tabulæ abiegnæ propè innumeræ: pons linteus vnus, gerræ ſeu crates, poſt quas tormenta collocantur, plurimę, nec pauciores ad expediendum ſubitarium pontem. Horum omnium ſyllabus ſcriptus datus Thomæ VVingardio, tormentariæ rei Pro-tribuno.

Iam ciuium remanentium æs alienum credebat Spinola tam cordi Ordinibus ipſis fœderatis eſſe debere, quàm ſuam ipſorum fidem atque auctoritatem: quæ penitus eſſet in Republicâ collapſura, ſi vel ſemel vrbis cuiuſpiam obſeſſæ ciues fefelliſſent; quare nihil pro hac curâ ſibi laborandum. *Sapientiſſimum Spinolæ iudicium de æris alieni ſolutione non curandâ.*

Præſidio hoſtili educendo dies v. Iunij dictus erat. Vetuerat Spinola, ne quis per facetiam militarem, cuiquam egredientium conuitium faceret; modeſtè adeò victoriâ vtendum reputabat. Ad eum diem curribus nauibuſque abundè paratis, miles noſter ad ternas vrbis arciſque portas cuſtodiendas eſt diſtributus. Comes Hermannus Bergius equeſtribus cohortibus v. egredientis præſidij agmen vſque Gertrudibergam eſt prægreſſus. Inter denos quoſque currus, paruæ equitum noſtrorum additæ cateruæ, ad tutelam ſarcinarum. Agmen ordiebatur Bergaignij cohors equeſtris, altera item equeſtris claudebat. In his duabus vix equitum quidquam, præter ipſa ſigna; adeò defecerant equi. Pedites medium obtinebant. In his procedebat Iuſtinus equo vehens, obſidum vno comitante Carolo Philippo le Comte. Legionem quiſque ſuam, Tribunus; Centuriones, cohortem præcedebant. Signa ferebantur explicata, permiſſo tympanorum pulſu. Cenſa peditum millia ferè tria: nam ægri nauigijs deuehebantur. Egregia ſanè manus, ſeu corpora ſpectares, ſeu arma; maiorque quàm in noſtris ſplendor. Nimirum *Spinola prohibet conuitium obſeſſis fieri.*

rum elegantiùs lautiuſque noſtris habiti fuerant hoſpitio & foco; neque panis defecerat ante egreſſus diem.

Spinola in egredientes humanitas.

Spinola inſigni Nobilitatis coronâ ſtipatus, vrbem inter & valli circulum interiorem triumphi ſui pompam pulcherrimâ victor ipſe ſpectabat. Ducum exeuntium ſingulos, Gubernatoremque inprimis Naſſauium, inſigni canitie venerabilem, eiuſque vxorem ac liberos, Emanuelis Portugalli filium, & duos Mauritij Principis nothos, humaniter ſalutans, eorum viciſſim compoſitis in conſtantiam vultibus vocibúſque, ac modeſtâ ſignorum ſubmiſſione, reſalutabatur. Vox nulla ignominioſa laceſſentium inuicem audita, ſed vultus taciti arridebant. Agmine prætergreſſo, gratulationibus adſtantium accurrentiúmque confertim omnium oppreſſus, communis beneuolentiæ officia non hilariùs quàm modeſtiùs admiſit, ſuâ cuique laboris operæque laude in tantis tam longæ obſidionis moleſtijs aſſignatâ.

Spinola in admittendis gratulationibus modeſtia.

Ad Iſabellam, ad Regem, ad Cæſarem nuntij victoria miſſi.

Ad Iſabellam Archiducem, qui lætum præſidij diſceſſum nuntiaret, Ioannes Medicæus Tribunus allegatus, cui Iſabella inſigne ex auro adamantibúſque niceterium, Regiâ planè munificentiâ, donauit. In Hiſpaniam ad Philippum IV. cum ijſdem nuntijs miſſus Ferdinandus Guzmannus, Hiſpanicæ legionis Tribunus. In Germaniam Cæſari Ferdinando Auguſto, Theodorus Camargius Protribunus primos deditæ vrbis nuntios tulit.

Comes Anholtinus cum ſuis Manſfeldicum nothum ſubſequitur.

Comes Anholtinus, auditâ Manſfeldici ab caſtris profectione, dimiſſus cum ſuis, præeuntem ſtatim eſt ſubſecutus. Victoriæ fama in Galliam, Angliam, Italiam, Germaniámque perlata, fidem vix etiam apud amicos inuenit. Vrbs fuit, vbi fabella fuſi ab hoſtibus Bredani commeatus, voce circumforanei proclamabatur, libróque vendebatur excuſa, eo ipſo die, quo deditionis nuntij eòdem perferebantur. Quin ex ipsâ Hiſpaniâ quoque ab Rege allatæ erant in Belgium litteræ, quibus admonebatur Iſabella, videret etiam atque etiam, an non magis è re eſſet,

Victoria magnitudo fidẽ apud multos ſuperat.

In Hiſpaniâ obſidio pro deſperatâ habetur.

ſet,

ſet, Spinolam tam longâ dubiaque obſidione auocari: adeò aſperè ſcilicet multi ad neceſſarios ſuos, auctoritate pollentes, in Hiſpaniam ſcripſerant, deſperatione vrbis potiundæ.

Archidux Iſabella ad victam vrbem, militemque victorem viſendum, venire ipſa decreuit. Spinola ſolis vrbis portis cuſtoditis, domibus, vicis, arce, temploque expurgari iuſſis, Iſabellæ ad tertium ab vrbe lapidem obuiàm iuit. Equitatus propè omnis aut Antuerpiam ad ducendum præmiſſus, aut itineris medio ad excipiendum inſtructus, aduentantem feſtâ triplicique fiſtularum exploſione excepit, tamquam thyaſus hilaritatis. Peditatus varijs ordinibus partitus, non minore fremitus lætitiæque ſignificatione alluſit. Hagenſi portæ, quâ Bredam Iſabella inuehebatur, affixum Programma legebatur, quod inuidiæ verbulo dempto placuit emollire:

Spinola vrbem expurgari iubet.

Archidux Iſabella Bredam venit.

Pompa quâ Iſabella excepta.

PHILIPPVS HISPANIÆ REX
GVBERNANTE ISABELLA CLARA EVGENIA
OBSIDENTE SPINOLA
HOSTIBVS FRVSTRA IN SVPPETIAS CONIVRANTIBVS
BREDA
VICTOR POTITVR.

Programma chronicum portæ Hagenſi affixum.

Machinæ vrbis maiores omnes ſemel, iterùm, tertiùm è mœnibus ſonuêre. Feſtos ignes, aliamque lætitiæ publicæ ſignificationem, pro ſuâ in Deum veneratione, fieri priùs Archidux vetuit, quàm Deo, præcipuo victoriæ auctori, in ſummâ æde poſtridie eſſet litatum. Poſtridie igitur Ill^mus Alphonſus Cardinalis de la Cueuâ, Regis Hiſpani Legatus, Sacris primùm operatus eſt, Iſabellâ eiuſque Gynecæo ac populo vniuerſo præſente. A Sacro, templum Iſabella obijt, vetera Religionis (ſi quæ ſupereſſent) monimenta inſpectura. Reperta hinc inde vacua ſepulchralium imaginum loca, veſtigia hæreticæ pietatis in Maiores vitâ functos. Integrum adhuc Engelberti Secundi Naſſauij quondam Comitis inſigne mauſoleũ, è marmore candido nigroque, ab Henrico nepote

Iſabella Deo victoriæ auctori honores priùs decerni, quàm ſibi lætitiæ ignes fieri mandat.

Primis Sacris Bredæ operatur Illuſtriſſ. Alphonſus Cardinalis de la Cueuâ, Regis Hiſpani Legatus.

Quæ in templo Bredano viſenda.

ædificatum. Alterum, quod Engelberti Primi & Ioannis Naſſauiorum erat, direptâ Marianâ ſtatuâ mutilatum. Id factum inſtinctu Sibyllæ, ſi Dîs placet fatidicæ Flaminicæque, Henrici Boxhornij Bredani Verbi-præconis, Flaminis Dialis, quondã inter Pontificios Sacerdotis. Illa, Sibyllino nempe oraculo, poſt ſextum Bredanæ obſidionis menſem, vaticinata, vrbem hoſti ceſſuram, niſi Virginis Matris ſtatuam ad id tempus eo loci conſeruatam, demolirentur, quam tot retrò annis Maiorum ſanctiſſimorum Religio eâ in vrbe fuerat venerata; ceteri verò à Religione alieni nec auſi fuerant ſartam ad id tempus tectamque violare. Quâ in re, neſcio quid amplius reprehendendum cenſeam; an torpentis Senatus populique in tanto proculcatæ antiquitatis flagitio tolerando patientiam, an in credendo ſtuporem; an mulierculæ audaciſſimæ impudentiam, aduerſus ſtatuam Matri Virgini conſecratam ab Illuſtriſſimis Naſſauiorum Proceribus, impoſitamq; tumulo ſuo ad memoriã poſteritatis. Parietibus templi Epigraphe vna alteráve, de captâ olim Bredâ inſcriptæ, Deo Regiq; Catholico ignominioſæ, fuêre deletæ. Hæc earum loco affixa, ad ſignandum annũ quo Breda recuperata:

Sibylla vxoris Boxhornij audax impietas.

Programmata ignominioſa deleta, a ijs inſcriptis.

AMBROSI SPINOLAE
VIGILANTIA
BREDA
EXPVGNATA.

Sacri cærimoniâ peractâ, templi turris ſub noctem, accenſis innumeris propè laternis ignibuſque, vel ex ipsâ Hollandiâ ardêre viſa. Vrbs tota facibus piceatiſque dolijs luxit. Tum machinæ iterùm omnes ſonuêre. Spectaculum verò longè pulcherrimum, corona perpetuorum ignium collucens ambitu XVI. millium per orbem valli interioris, quem Spinola, haſtis ſtramine faſcibúſque præfixis, à milite iuſſerat confertim ſtipari incendíque, intermicantibus perpetuis fiſtularum ignibus, qui eminùs ſtellarum ſubitò fulgentium euaneſcentiúmque ſpeciem iucundiſſimam referebant.

Feſti ignes admirandi.

Eluxit

Eluxit autem Iſabellæ Principis optimæ in Bredanam ædem duóſque religioſos Ordines, Capuccinorum & Sacerdotum Societatis Iesv, liberalitas, non minor quàm pietas in propitiando exorandóque Numine ad vrbem eam obtinendam. Publica omnium vox fuit: Iſabellæ, Aulæque eius, continuatis precibus, imperatis ad templorum omnium puluinaria ſupplicationibus, effuſis in miſeros largitionibus, Bredam eſſe recuperatam, non armis. Et certè diuina adfuiſſe præſidia humanis ſtratagematibus præſentiora, negare nemo poteſt. Cui autem hæc accepta referemus, niſi illius notæ Pietati? cui vetus illud acclamare non iniuriâ poſſumus: *Vna mulier fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor.*

Iſabella in religioſos Ordines liberalitas, pietaſq; in Deũ.

Dei potiùs quàm hominum victoria.

Iſabella Religioni poſt Deum victoria referẽda.

In vrbem ergo venit Iſabella vt auitæ Religionis inſtauratrix, in caſtra, vti Ducis munia per eos dies obiret. Anniuerſarium Sacrum in Auguſtiſſimi Sacramenti honorem (cuius peruigilio tractari primùm de deditione Bredæ cœpit, octauo autem die præſidium exceſſit) fieri decreuit. Capuccinis ad emendam Bredæ domum quatuor florenorum millia; Sacerdotibus Societatis Iesv, qui quaternis caſtris diuiſi, militum ſalutem toto obſidionis tempore procurarant, millia quinque ad ſubleuandos emendi Collegij ſumptus, eleemoſynæ nomine erogauit. Veteri Virginum cœnobio, ruiníſque Ginekenſis templi (quod Mauritius incendi fecerat) inſtaurandis, non exiguum pecuniæ numerum eſt elargita. Quæ omnia tam inſignis Religionis argumenta, cùm ſummo Religionis Præſidi Vrbano VIII, Pontifici Maximo, Alphonſus Cardinalis de la Cueuâ, Hiſpani Regis Legatus, indicaſſet, has ei Pontifex literas reddidit.

Iſabella Religioſa donaria.

Iſabella in res ſacras largitio.

» Dilecte fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictio-
» nem. Poſtremas literas tuas fuiſſe ſenſimus aureas illas phia-
» las, plenas odoramentorum, quæ cæleſtium animos oble-
» ctant, & mortalium ægritudines conſolantur. Reſpiraui-
» mus aliquantiſper in altitudine ſæuientis maris fluctuantes,
» vbi in Bredenſi vrbe adſpeximus triumphantem Religio-

Vrbani VIII. Pont. Max. ad Alphonſum Cardinalem de la Cueuâ litera.

 nem.

nem. Non obliuiſcitur Deus miſericordias ſuas, & Princi-" pibus cęlum propugnantibus militant legiones Angelorum." Certè victoria iſta inter tot coniurantis impietatis opes, &" naturæ ipſius obluctantis difficultates quæſita eſt; vt quam-" uis illuſtre in omnes ætates futura ſit documentum bellicæ" fortitudinis, omnipotentis tamen bellatoris beneficium ha-" beatur. Edomita enim eſt non ſolùm hoſtium vis, ſed etiam" ſæuitia fluminum. Nunc autem præclaros tanti triumphi" fructus Auſtriaca Princeps colligit, dum validis viribus Re-" ligionem munit. Neque ſapientiùs id curari poſſe arbitra-" mur, quàm Sacerdotum officijs, & artibus earum Religioſa" rum familiarum, quibus in recuperatâ vrbe Cœnobia pate-" feciſtis. Tibi verò peramanter benedicimus, qui primus," plaudentibus Angelis, & gaudente Eccleſiâ, tremendum ſa-" croſanctæ Miſſæ Sacrificium in ijs aris peregiſti, quas nuper" hæretica temeritas violarat. Porrò autem laudamus pieta-" tem tuam, cùm Romanæ Purpuræ ornatus ſplendoribus, te-" ipſum in præſenti opportunitate dignum tanto Sacerdotio" præbeas. Pia conſilia poſſunt te in huius triumphalis gloriæ" ſocietatem adducere. Militum enim fortitudo, impietatem" ex mœnibus vrbium exterminat: Sacerdotum pietas, ex ani-" mis populorum. Tantum nomini tuo decus exoptantes, pa-" trocinium noſtrum tibi peramanter pollicemur. Datum Ro-" mæ apud ſanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris," die IX. Auguſti, M. DC. XXV. Pontificatus noſtri anno ſecũdo."

Iſabella in milites cura & donatiuũ.

Iſabella caſtra obit.

Spinola in vrbem commeatum inuehi curat.

Præfectus Bredæ datur Baro Balanconius, vir à virtute notus.

Iſabella Religionis officijs perfuncta, militi in caſtris ſtipendium menſis integrum perſolui, veſtes ad X. millia fieri donatiui nomine imperauit. Sequentibus deinde diebus, interna externaque valli vtriuſq; opera ſpectatum circumiuit, militiæ cultrix iuxtà ac Religionis. Intereà Spinola ingenti commeatu vrbem diuturnâ obſidione exhauſtam inſtruxit, domoſque collocando præſidio deſcripſit. Iſabella vrbi gubernandæ Præfectum Baronem Balanconium, Burgundicæ legionis Tribunum, conſtituit. Eius viri virtus, modeſtia, vigilan-

gilantiaque tam erant ſupra inuidiam notæ, vt nulla militum natio non ei id munus iure meritoque diceret eſſe deferendum. Ciues, qui vel famâ probitatem eius acceperant, gubernacula ei deſtinabant, tradique obteſtabantur. Adeò virtus celari non poteſt, cognitaque amatur. Tum Senatus populo dictus. Creatus poſtliminiò Conſul Henricus Montens, Iuris prudentiâ clarus, honeſtaque canitie grauis, qui id munus tum quoque adminiſtrabat, cùm vrbs iam vltimùm Regi per fraudē onerariæ nauis eriperetur, Religionis patriæ ſemper tenax. Collega datus Dingemannus vander Locht, pacato vir ingenio, auitæque Religionis cuſtos. Senatores ceteri, quos virtus & fides ſua Reipublicę commendarat. Ciuibus eadem gubernationis ratio legeſque conſtitutæ, quæ Siluæducenſi vrbi. Quamquam initiò multis de cauſis præſtari omnia non potuêre. Senatus, auſpicato Magiſtratu, Gymnaſium publicum Profeſſoribus Societatis IESV moderandum dedit; quem ordinem ſcilicet Philippus Arſcotanus Dux, Archiducis Iſabellæ iuſſu (literis eius in Curiam allatis) commendatum miſſus erat.

Senatus populo Bredano dictus.

Gubernationis norma Bredanis ciuibus præſcripta.

Gymnaſium inſtituendæ iuuentuti Bredanæ à Senatu Societatis IESV Profeſſoribus delatum.

Rebus omnibus ita ritè conſtitutis, commeatibus expeditis, deſignato præſidio peditum millium III. equitum cohortibus VII. vallos, foſſas, operaque quibus vrbem circumuenerat Spinola, prorui iuſſit: ſeruari oſtendique poſteritati digna, niſi iam ſui vſu, qui maximus fuerat victoriæ tantæ obtinendæ, immortalitatem eſſent conſecuta. Exercitu deinde per interualla præmiſſo, Archiducem Antuerpiam eſt comitatus. Pedites, agminibus Hooghſtratam Bredamque inter partitis, præteruehentem militaris lætitiæ plauſu ſalutarunt. Equitatus haud procul Hooghſtratâ, maximâ in planitie ab Henrico Bergio explicatus, militares ludos bello ſerio ſimillimos præbuit. Turmæ quindenæ hinc inde è diuerſo in alas diſpoſitæ, mutuo occurſu, ſimulataque dimicatione, dulcis illius belli faciem exhibuêre, qualem inexperti ferè ſibi cogitatione machinantur. Tubarum clangor, equo-

Quantum denuò Bredæ præſidium impoſitum.

Opera, valli, foſſæq́; diruta.

Archidux cum exercitu diſcedit Bredâ.

Ludicrum equeſtre à Comite Bergio præbitū.

rum curſus atque receptus, pulueris ex humo excitatio, galearum loricarumque ſplendor,ferri diſtricti fulgor,barritus concurſantium, ignis & fumus, ſtrepituſque exploſarum fiſtularum, machinarum maiorum interludentium è longinquo ſonus: omnia denique pugnæ ſpectacula,præter ſanguinem & cædem:atque omnium pulcherrimum,ipſe Henricus Bergius cataphractus duos inter amicos Principes auxilio quaſi accurrentes, VVolfgangum VVilhelmum Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montiumque Ducem, & Ducem Saxoniæ Rudolphum Maximilianum; qui ſimul tres, ludo incruenti belli peracto, ad Archiducis Iſabellæ victricis currum,ſubmiſſis gladijs, ſalutabundi accurrêre. Tum Spinola, caſtra tertio ab Antuerpiâ lapide metatus, lætiſſimis omnium qui eum quærebant oculis vocibuſque, vnà cum Archiduce acceptus, vrbem inuectus fuit. Hooghſtratæ cum ſuis Henricus Bergius relinquitur, ad reliquum commeatum Bredæ ſupportandum.

Archiducis & Spinola in vrbem Antuerpienſem ingreſſus.

Hooghſtratæ Bergius ſupportando reliquo commeatui relinquitur.

Inſidiæ hoſti à Bergio ſtructæ irrito euentu.

Vltimo ergo commeatu,qui Bredam inuectus fuit, priuſquam hoſtis in æſtiua abiret,Bergius lemniſcum laureæ Spinoleæ appenſurus,hoſtem in inſidias elicere ſtuduit,inuitatu emiſſariorum paucorum, quos ad caſtra præmiſerat, ceteris in inſidijs conſtitutis,qui tum ſubitò exiſterent inuaderentque. Sed hoſtis,ſeu prudentiâ ſeu metu,cùm caſtris non prodiret, Bergius re nullâ geſtâ diſceſſit.

Iſabellæ victricis icon inſignis à Rubenio expreſſa.

Iſabella dum Antuerpiæ manet, Rubenij pictoris excellentiſſimi penicillo expreſſa,cæloq; in æs inſculpta,ſe Ciuicâ coronatam,auguſtâ ſanè in tabulâ vidit.Digna ſic pingi poſt nobiliſſimum triumphum, nec alterius atque Apellis illius manu. Victrici præbita in Scenam Dauid à Gymnaſio Societatis IESV, nouo dramatis genere, quo poſt Actus ſingulos, tota ſimul rei geſtæ hiſtoria mutarum perſonarum viuis imaginibus iucundiſſimè exhibebatur. Spectarunt pro Iſabellâ,reliqui Aulæ Magnates. Paucos poſt dies quàm intellectum,mouiſſe hoſtem,ſuis in præſidia dimiſſis; noſter quo-

Dauid Tragœdia Archiduci dicata à Collegio Societatis IESV Antuerpiæ.

que

que exercitus quaqua verſus in æſtiua diſceſſit. Bruxellam verò vt Spinola cum paucis venit, nouas iterùm gratulationes (etſi celato aduentu vitaret) inuitus coactuſque, accurrentibus omnibus, admiſit. Nuntijs intereà in Hiſpaniam perlatis, Rex Philippus geminâ victoriâ lætus, Bredæ Bayarumque Braſilienſium recuperatarum, Marchioni Spinolæ pro tot exhauſtis laboribus, tot hoſtibus ſine clade ſuperatis, vrbe tam inexpugnabili ſubiugatâ, ampliſſimum Caſtellæ munus, ſummam Ordinis S. Iacobi Præfecturam adminiſtrandam dedit. Nimirum aut id præmium tantæ victoriæ eſſe debuit, aut liberalitas tanti Regis, maiora etiam quàm peti poſſent tribuentis. Vrbanus autem Pontifex Maximus, rerum ad Bredam geſtarum magnitudine excitatus, Iſabellæ inprimis, deinde Spinolæ ſuâ fortitudine felicitateque, præſtantiſſimis literiş eſt gratulatus: quarum exempla cùm ob ſingularem elegantiam, tum ob ſummam ſapientiſſimi Pontificis auctoritatem, publicanda iudicaui. In hanc ſententiam Iſabellæ Archiduci ſcribit:

Hoſte in præſidia abeũte, exercitus noſter miſſus in æſtiua.

Honor Spinolæ ab Hiſpaniæ Rege delatus.

„ Eleuauit Dominus potens in prælio, brachium ſuum ſuper gentes, quæ cogitabant ſeruis ſuis mala, & dextera Omnipotentis glorificatur in vobis. Triumphantes gaudio ob clariſſimam Bredæ expugnatæ victoriam, eiuſmodi elogio alloquimur Nobilitatem Tuam, quæ muliebris virtutis laudes ſupergreſſa, ad propugnationem Religionis orthodoxæ feliciter conuertit arma Auſtriacæ potentiæ. Dimicauit militia cæleſtis exercitus in caſtris Tuis; & bellicæ fortitudinis conſtantia, docuit nobiliſſimas nationes, ad tam inſignis obſidionis ſpectaculum commigrantes, nullam arcem in terris tam validis opibus ac propugnaculis muniri, quam cæleſtibus auxilijs armata caſtrenſis virtus non expugnet. Decertaſtis cum hoſte periculorum contemptore, & inauditi terroris artifice. Ipſum è carceribus ſuis immittere in Auſtriacas legiones meditari videbatur Oceanum. Fluminibus ſæuientibus maritima oſtia occluſit, vt caſtra Nobilitatis Tuæ

Vrbani Pont. Max. litera ad Archiducem Iſabellam.

nouo veluti mari ſuperfuſo abſorberent. Ceciderunt impij «
in foueam quam fecerant,& Dominus regnauit. Auitis ſedi- «
bus tumultuantes fluctus cohibuit Oceanus, & abierunt in «
ſicco flumina. Gratulamur Tibi victoriam totius Eccleſiæ «
votis expetitam,cui Roma Nationum omnium mater plau- «
dit, quam hiſtoriarum teſtimonia conſequentibus ſæculis «
oſtentabunt. Eâ verò quàm benè vtatur Nobilitas Tua, ex «
famæ voce & miniſtrorum noſtrorum literis accepimus. «
Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà ſtationes mili- «
tum in aggeribus excubant: ille verò Angelorum legionibus «
eas vrbes armat, in quibus Catholica fides, cuſtos publicæ «
tranquillitatis, dominatur. Scimus quàm ſollicitâ pietate, & «
quàm prudentibus actibus cures, vt è Bredenſibus populis «
eliminetur hæreſis, parens perfidiæ, & ſeditionum nutrix. «
Quare cùm locum minimè relinquas Pontificijs hortatio- «
nibus, meritò laudamus & extollimus nominis tui gloriam, «
& accuratiſſimis precibus commendamus Deo Nobilita- «
tem Tuam, vt ex tam ſalutari triumpho eos fructus perci- «
pias, quos optat Eccleſia, & formidat impietas; Tibique A- «
poſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Da- «
tum Romæ, apud ſanctam Mariam Maiorem, ſub annulo «
Piſcatoris, die IX. Auguſti, M. DC. XXV. Pontificatus noſtri «
anno ſecundo. «

Vrbani Pont. Max. litera ad Marchionem Spinolam.

Spinolæ verò ad hunc modum gratulatur: Triumphat «
cælum in victorijs Nobilitatis Tuæ, cuius palmæ hæretico- «
rum ſanguine nutriuntur, & Catholicæ Religionis caput «
coronant. Breda expugnata monumentum erit Nationi- «
bus atque ætatibus vniuerſis bellicæ virtutis Tuæ. Diſcet or- «
bis terrarum, hoc etiam tempore in Italiâ naſci eos Duces, in «
quibus Cæſarum & Scipionum gloria refloreſcat. Domuiſti «
hoſtes pollentes opibus, furentes irâ, & contemptores mor- «
tis. Flumina occluſis oſtijs iuſſa ſunt curſum mutare, & ag- «
mina indignantium aquarum in caſtra Nobilitatis Tuæ. «
Perdomuit omnia fauor cæli, & fortitudinis conſtantia. «

Certè

" Certè quam Austriacæ potentiæ vrbem præripuerat prodi-
" tio metuens lucis, & in dolosis latebris delitescens, eam per
" Nobilitatem Tuam reçuperauit virtus & ingenium. Ibit in
" sæcula Bredensis obsidionis memoria, atque ab eâ artes bel-
" landi, & exempla fortitudinis, discent Duces posteritatis.
" Inter Italiæ præsentes tumultuantis, & Principum dissiden-
" tium procellas, è Bredâ receptâ, adeò lætus hic diuinæ cle-
" mentiæ radius Pontificijs sollicitudinibus affulsit, vt Te tan-
" ti auctorem boni, Apostolicarum literarum testimonio or-
" nare decreuerimus, patrocinium nostrum pollicentes No-
" bilitati Tuæ; cui diuturnæ vitæ robur precamur, & Apo-
" stolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum
" Romæ apud sanctam Mariam maiorem, sub annulo Pisca-
" toris, die IX. Augusti, M. DC. XXV. Pontificatus nostri an-
" no secundo.

Magnæ, sed veræ laudes, Pontificio iam oraculo confirmatæ. Et certè, quàm magna ea victoria sit, neque hostes adhuc sentire, recente nimis plagâ; neque nos, nouitate lætitiæ, satis possumus æstimare. Quod vnum aut par aut maius victoriâ quantauis maximâ duci debet; cùm non de Bredæ, sed famæ honorisque iacturâ fuerit decertatum, eius vrbis deditio, quam tantis Europæ motibus, tot Prouinciarum conuocatis auxilijs, tot ærarij exhausti sumptibus, tuendam frustrà fœderati Ordines suscepêre; Hispano Regi, Isabellæ Archiduci, Marchioni Spinolæ, nomen peperit immortale.

Hac vnâ victoriâ, Ordinum fœderatorum existimatio lapsa.

Chronographicum:

reX
breDaM CepIt
qVInta
IVnII.

APPRO-

APPROBATIO.

OBSIDIO Bredana, deſcripta à R.P. HERMANNO HVGONE, verè ſine fuco refert, quàm potenter Deus omnipotens faueat Catholicis caſtris: vtpote, Auctor ferè in omnibus tamquam oculatus teſtis, doctè & cum fructu oſtendit quàm mirabilis ſit Deus in operibus ſuis. Bruxellæ, x. Nouembris, M. DC. XXV.


Henricus Smeyers S. Th. Lic. Scholaſticus Bruxellenſis, Librorum Cenſor.

CVM Priuilegio PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici, & Potentiſſimi Belgarum Principis, ad ſexennium.

Signat.

J. Cools.


OBSIDIO BREDÆ
PERFECTA.
H
C
F
K
I
L
N
L
N
L
E
M
K
K
N
G


A
B
B
B
I
K
O
K
I
K
D
A. Statio Marchionis Spinolæ.
B. Statio Magistri Equitum.
C. Statio Baronis Balanconij.
D. Statio Comitis Isenburgici.
E. Statio Paulli Ballionij.
F. Statio Baronis Beauuoixij.
G. Statio Caroli Roma.
H. Statio Comitis Anholtini.
I. Aggeres tormentarij interni.
K. Interior circulus.
L. Niger Agger, vt vocabant.
M. Agger nouus duplici sepe.
N. Stagna arte facta.
O. Fossa a Marchione iacta longitudine 2200 pedum ad deriuandas aquas.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXIX.

